

ALEXANDRI  
APHRODISIENSIS  
QVAESTIONES  
NATVRALES,  
MORALES.  
ET DE FATO.

HIERONYMO BAGOLINO  
VERONENSI PATRE, ET IOANNE  
*Baptista filio interpretibus.*



*Cautum Priuilegijs, Summi Pontificis, ac Illustrissi. Senatus Veneti.  
ne quis hunc Librum in aliquo suæ ditionis loco impri-  
nat, aut alibi impressum uendere audeat.*

*Venetijs apud Hieronymum Scotum.*

I 5 4 I

ALEXANDRI

APHRODISIENSIS

ORATIONES

NATURALES

MORALES

ET DE FATO.

NIERONYMO BAGOLINO

VERONENSI PATRE ET IOANNE

Præfata filio interpretibus.

5



Cautione Praeterea, Scimus Pontificis, ac Illustrissimi Senatui Venetico  
 ne quod hanc Librum in aliquo loco exhiberi sine iuramento  
 fiat, aut alibi impetrari audeat.

Venerabili quod Hieronymus Scotum.

1 2 4 14



IOANNES BAPTISTA BAGOLINVS

VERONENSIS, HIERONYMI FILIVS

VINCENTIO MADIOBRIXIANO,

PHILOSOPHO S. P. D.



Agnam esse uim propinquitatis, et similitudinis animorum, rerumque omnium, sicut ante sentiebam, sapientissime, idemque mihi amicissime Vincenti: ita nunc ea ipsa uis factum est, cum Aphrodisiensis Alexandri Naturales, et Morales Quaestiones a patre olim inchoatas, a me nuper in latinum plene conuersas emissurus essem, ut eas in nomine emitterem tuorum: nempe pro tuorum cum scriptis Alexandri consensu dictorum, pro nostrarum coniunctione uoluntatum. Cum enim eodem tempore et te audirem et Alexandro operam uertendo darem, magnis in rebus, difficillimisque in philosophia locis illae mihi ipsae sententiae, eadem inuenta utriusque uidebantur: siue quod ex te idem ipse sentires: ut acute soles, et perspicue iudicare, non temere: siue quod Alexandrum legisses accurate, ut uersaris in ueteribus Graecis omnibus magnis uiris illis, non Philosopho quouis inepto: siue quod utrumque, et, cum optime sentires, placeret Alexander tibi: et cum Alexandrum studiose legeres, optima quaeque ex illo depromeres, neque id mihi modo, sed permultis alijs etiam, iisque doctis tuis auditoribus cum tua summa laude uidebatur. Nostra autem coniunctio, Vincenti, non uulgaris. primum enim apud patrem meum, dum uiueret, non tu discipulus modo, sed pene filius, quod tu assidue praedicas: illo deinde mortuo, non tu magister modo meus in doctrinis, sed actionibus, uita: quod ego testor: cum tu non in contemplando solum, uerum etiam agendis in rebus consilio ualeas, atque prudentia. tum uero idem mores, eadem fortuna, eadem res inter nos omnes. ea praetereo, quae magnam uim habent, quibus tam multa saepe tribuimus, nobilitatem, opes, potentiam: quae sicut ea sunt apud te, ut eorum causa in amplissimo honore esse posses, ac mihi, et amicis cum splendore parent honestis: ita ab illustrioribus tuis ornamentis obscurantur. uirtus autem ea tua est, ut tibi uel ipsa sola in primis deinctus esse possim: quae etiam ipsa quam plurimas magnorum hominum amicitias tibi conciliauit, quibus ego te pro rebus omnibus cum amem, obseruo etiam uehementer, te uitor cum reuerentia familiariter: cum mihi, quae tua est humanitas, fraterno in amore mirifice respondeas, idque tribuas, quod ego mihi sumere nunquam ausim. Itaque tum pro nostra coniunctione, tum pro tua cum Alexandro, ut ita dicam, identitate, re postulante, inclinante animo, opus quadam ex parte meum, Alexandrum tuum tibi reddidi. Idque eo etiam libentius feci, quod, cum studio seruirem in te meo, amicitiam etiam nostram ipsam, qua ego delectari in primis, et gloriari soleo, hoc facto peruulgabam meo: et Alexandrum ipsum, pro tuo inter horum temporum philosophos nominis splendore, et loci, quem obtines, dignitate illustrabam. addo etiam nonnihil merito, quod res tuo magna ex parte suscepta consilio, magna tibi debebatur ex parte. Alexander autem, optime nosti, quam corruptus graece circumferretur: admirabilis author in philosophia, miserabilem in modum mendosus. sed, ut scis, ueteribus adhibitis manu scriptis exemplaribus graecis multo melioribus, locis collatis uel in Alexandro ipso, uel Themistio, Ioanne Grammatico, Simplicio, Aristotele plurimum, mea summa industria, doctis consulendis, et te in primis, Vincenti, effeci, ut plurimis in locis antea obscurum, nunc clarum fecerim Alexandrum: quantum eius propria breuitas, obscura, et concisa quaedam oratio haecenus a me fieri dilucidior potuit. qua in re ita me intra latinae linguae terminos constitui, ut Alexandri sententias conseruarem, in magna difficultate. Multo certe melior a me nunc latinus exit Alexander, quam graecus habeatur: res, ut ita dicam, tua, amoris nostri pignus, labor hic meus, quicumque est, in publicam philosophantium utilitatem. Quod tu factum meum cum probaris, probatum omnibus pro tua et in rebus iudicandis intelligentia, et apud omnes autoritate putabo. Vale. Patauij.

CAPIT A PRIMILIBRI.

Per quæ quis constituat primam causam secundum Aristotelem.  
 De Colore quædam.  
 Quorum sunt definitiones.  
 Annotatio in dialogo de hoc, si omnia fato fierent, auferri possibile, & contingens.  
 Quamobrem augmentatio secundum formam solum, non autem etiam secundum materiam.  
 Cur, si magis aqua per frigidum, quam per humidum, eius quidem mutatio ex frigido in calidum non corrumpit ipsam, ex humido uero in solidum corrumpit.  
 Quo pacto, non sunt contraria magnum & paruum, cum mutatio quidem sit in contraria, quod autem augetur, & minuitur in hoc mutatur.  
 Ad id, quod non sit forma in materia, ut in subiecto.  
 Cur non bonæ habitudini ægritudo potius quam mala habitudo opponitur.  
 Quo pacto, si quatuor sunt causæ, non erit & in diuinis corporibus subiectum ipsa materia.  
 Quomodo dictum sit in primo de Anima. Animal enim uniuersale, aut nihil est, aut posterius.  
 Quo pacto possibile est simul eundem uoluptate, & dolore affici, si contraria hæc.  
 Quod, non eodem modo, & secundum alias sectas, & secundum Epicurum introducuntur colores, ut dicebat Censorinus Academicus.  
 Quod secundum quos solum honestum bonum est, nullum Diu hominibus præbent bonum.  
 Quod, si eadem materia & in Diuinis, erunt & illa corruptibilia.  
 Expositio textus dicti in primo Physicæ auscultationis Aristotelis, de eo, quod contraria omnes quodam modo principia faciunt.  
 Quod non sit forma in materia, ut in subiecto.  
 Quod non possibile est mundum esse Dei uoluntate incorruptibilem, si sui natura corruptibilis sit.  
 Quomodo eadem potentia simul contrariorum esse dicitur.  
 Quamobrem æstate sumus somnolentiores, si somnus est propter connati nobis calidi ad intra retrocessionem.  
 In quo prædicamento sit motus.  
 An, quod mouetur super aliquo secundum priorem eius partem prius moueatur.  
 Cur, si Corruptibilis est terra, non contingit ipsam & simul quandoq; corruptam iri.  
 Expositio textus ex primo Physicæ auscultationis Aristotelis in fine dicti, per quem dicit, inuentam materiam soluere etiam antiquorum dubitationes.  
 Quædam conferentia ad ea, quæ de providentia.  
 Quomodo forma in materia, per se ne, an per accidens.

Caput primum.  
 Caput secundum.  
 Caput tertium.  
 Caput quartum.  
 Caput quintum.  
 Caput sextum.  
 Caput septimum.  
 Caput octauum.  
 Caput nonum.  
 Caput decimum.  
 Caput undecimum.  
 Caput duodecimum.  
 Caput decimumtertium.  
 Caput decimumquartum.  
 Caput decimumquintum.  
 Caput decimumsextum.  
 Caput decimumseptimum.  
 Caput decimumoctauum.  
 Caput decimumnonum.  
 Caput uigesimum.  
 Caput uigesimumprimum.  
 Caput uigesimumsecundum.  
 Caput uigesimumtertium.  
 Caput uigesimumquartum.  
 Caput uigesimumquintum.  
 Caput uigesimumsextum.



ALEXANDRI APHRODISIENSIS,  
NATURALIUM ANNOTATIONUM,

DIFFICULTATUM, ET SOLUTIONUM,

LIBER PRIMVS.

PER QUAE QVIS CONSTITVAT

*primam causam secundum Aristotelem.*

CAPVT PRIMVM.



**I** SUBSTANTIAE omnes sunt corruptibiles, erunt omnia corruptibilia: alia enim à substantia separari non possunt: sed non sunt omnia corruptibilia: nec substantiae omnes corruptibiles. non sunt autem omnia corruptibilia, quia impossibile est motum esse corruptibilem, est enim aeternus. si enim genitus esset, cum omne, quod generatur, ab aliquo, & ex aliquo generetur, essent utiq; & illa, ex quibus motus. Sed siquidem ita se haberet, ut, neq; quod agit, neq; quod patitur, ut illud quidem pati posset, hoc uero agere, indigeret mutatione aliqua, iam esset utiq; & motus, non autem fieret. Si autem esset aliquid illa impediens,

oporteret motum aliquem factum iri, ut hoc quidem agere, illud uero pati, & fieri motum ex ipsis. hoc autem pacto necesse erit, antequam fiat motus, esse motum non genitum, atqui motus est in eo quod mouetur: quare & aeternus in eo quod mouetur aeternae: impossibile enim est aliquid aeterno motu moueri, nisi sit aeternum. Nam si quis dicat motum esse aeternum, quia ipsum ex alio in aliud succedat corpus. primum quidem non faciet motum continuu, & unum: motus enim continuus est, cum est unum id, quod ipso mouetur. insuper possibile erit deficere motum, nisi aliquid aliud, quod sit aeternum, ordinatae, & terminatae, eorum, quae mouentur successione causa sit, aeternum corpus, quod aeterno tempore moueatur: atqui aeternus, & continuus est solus motus circularis latio: igitur id, quod eo mouetur est aeternum. Est quoq; hoc inter corpora optimum: eternum enim non eternis melius. Id etiam, quod primo omnium motuum mouetur, & animatum: optimum enim ex corporibus animatum: est enim melius animatum corpus inanimato: at circulo uersatile corpus optimum, quare & animatum: quod enim est omnium corporum optimum animatum est: circulo uero uersatile corpus huiusmodi est. At uero omne quod mouetur ab aliquo mouetur: igitur, & quod per animam mouetur, omne ab aliquo. Si uero quod per animam mouetur, ex impulsu mouetur: impulsus autem est ex alicuius desiderio: itaq; & si etiam aeternum sit corpus, ex impulsu, & desiderio alicuius mouebitur. Si autem est quod ex impulsu, & desiderio mouetur, necesse est aliquid esse, quod desiderans hoc, mouetur aeterno motu, quod & ipsum aeternum sit, & actu: omne enim, quod uim habet mouendi aliquid, actu aliquid existens mouet: & quod semper, & continue mouet, semper idem erit actu, & exers omnino potentiae erit: si enim erit potentia, poterit utiq; & motus corruptus iri, cum non sit actu quod ipso motu mouebit. Quin etiam illud erit immobile, si enim & hoc mouebit, cum moueatur, indigebit & hoc rursus alio mouente. Sed si immobile incorporeum: omne enim corpus, qua corpus, mobile. erit igitur substantia aliqua aeterna, simplex, & immobilis, actus existens, corporis circulo uersatilis, aeterni, atq; continui motus. Mouebitur autem ab ipso diuinum corpus, eo quod ipsum intelligat, appetatq; & desideret ei simile fieri: omne enim, quod mouetur ab immobili aliquo separato, hoc modo mouetur. Monstratio est per resolutionem: impossibile est enim primi principii demonstrationem esse: sed opus est, cum à posterioribus, & manifestis inceperimus, per conuenientiam cum his, resolutione utentes, illius naturam constituisse. Quod autem forma motiua circularis motus sit primo intelligibilis, & maxime, & primo appetibilis, & maxime, ex hoc demonstrari posset. forma est proprie intelligibilis: materia enim, cum nullum sit actu entium, proportionem intelligibilis est, & ut inquit



Plato ratiocinatione : forma uero intelligibilis est , cum sit aliquid actu . formarum quoque magis intelligibilis est , quæ est in substantia , quàm quæ est in aliquo alio , quia & magis . & earum , quæ in substantia , quæ maxime simplex , & quæ semper est actu : est enim hæc maxime intelligibilis , eò quòd & maxime sit , cum semper sit actu , & quia sui natura simplex sit : simplex uero maxime intelligibile ; quæ enim sunt in compositis , tunc sunt intelligibilia , cum intellectus ipsa separauerit ab illis , in quibus sunt , & ueluti simplicia ipsa fecerit ; huiusmodi autem est uniuersa motiua substantia : maxime igitur ipsa intelligibilis . Verum & maxime appetibilis . maxime enim sui natura appetibile , quod sui natura maxime bonum : huiusmodi autem hæc : in forma enim bonum magis , quàm in materia : in eo enim quod agit magis , quàm in patiente : & patiens quidem est , quod aliquid potentia est , agens uero , quod actu : & in terminato magis , quàm in interminato . in forma itaque bonum magis , quàm in materia : & in forma , quæ in substantia magis , quàm in aliquo alio genere : per hanc enim etiam aliæ sunt : & earum , quæ in substantia , quæ maxime existit , & simplex , & expers eius ; quod in potentia , bona maxime . huiusmodi autem ostensa est esse prius dicta natura . proprie igitur , & primo appetibilis ipsa est , atque intelligibilis .

*De Colore quædam . Caput secundum .*

**C**OLOR EM definiuit Aristoteles , extremum perspicui terminati , quatenus est perspicuum : corporis enim , qua quidem corpus , extremum superficies , qua uero eo perspicuum color : idcirco & simul est color cum superficie . quoniam enim cuiusque corporis , ut corpus , extremum est superficies : & perspicuum ipsum est corpus : huius quoque , qua corpus , extremum est superficies . est autem eius , etiam ut perspicui , extremum color : & simul sunt eius ambo extrema ; quando quidem extrema non sunt eadem inter se ; omne enim corpus in superficie , & cum superficie ; non omnis tamen superficies cum colore : quia nec omne corpus perspicuum terminatum . nam perspicui corporis quoddam est terminatum , quoddam uero interminatum . perspicuum ergo interminatum , cuiusmodi sunt aer , & aqua , quemadmodum nec superficiem propriam , atque terminatam habet : ( terminatur enim humida , atque interminata corpora , à continentibus : ) ita nec proprium habet colorem , sed est alienorum colorum ministratorium , & receptiuum , quemadmodum & figurarum . Et iure natura subministrandum alienis coloribus fecit absque colore perspicuum : perspicuum quidem , ut recipere possit colores : interminatum uero , & absque colore , ne proprius eius color , ex mistione eius ad ea , quæ per ipsum uidentur , impediatur ueram ipsorum representationem . quod autem est in terminatis , & solidis corporibus , quemadmodum terminatam habet , ut corporis figuram , atque extremum , sic opus est , & ut perspicui : & est , ut perspicui eius extremum color : nam color est extremum perspicui terminati : neque enim omne corpus est perspicuum : neque enim omne receptiuum colorum : neque omne perspicuum est terminatum . quæ autem sunt in profundo perspicuorum terminatorum sic habent colorem , quemadmodum superficiem , & figuram . Ex terminatis uero perspicuis , illa quidem magis sunt , hæc uero minus talia : maxime enim perspicua sunt splendida , & alba corpora : cuius naturæ est ignis : flauus enim uidetur mistione fumi nigri existentis : secundo uero , & tertio perspicua sunt per distantiam ab hoc . quæcumque uero corporum nigra sunt , hæc , cum priuata sint colore , etiam superficie priuata sunt . cum enim color sit de numero entium , & eorum , quæ in aliis nata sunt esse , oportebat esse aliquid , & corpus , in quo color : & est hoc perspicuum corpus : est enim hoc proxima coloris materia : quod quidem est actu perspicuum , ipsum actu habens . perspicuum uero potentia est , ut materia , quod est receptiuum & contrariorum inter se colorum , & eorum , qui sunt inter ipsos : & omni corpori colorem habenti , aut ei quod est coloris receptiuum mista est etiam perspicui natura . In quibus ergo corporibus , perspicuis existentibus , habentibus aliquid perspicuum in se , extremum manifestum est , & terminatum , ( est autem hoc in solidis , ) est in his & color manifestus , & proprius : & est in his solis , qui proprie dicitur color , & magis , in quibus magis . perspicuum uero interminatum nullum quidem proprium , nec terminatum habet colorem : eò quòd propter raritatem nullum retinere , & coercere potest . cum autem sit alienorum colorum receptiuum , & ministratorium , nullum quidem ipsorum passiuè recipit : mouetur autem ad eis per præsentiam , & habitudinem quandam ad ea corpora , quæ proprium colorem habent , quousque contigerit ei uideri per motum , qui fit à color

ribus in illis existentibus, subministrando animalibus uim cernendi habentibus, ut per ipsum colores compræhendant. hoc uero facere potest ipsum perspicuum in lumine primo moto à præsentia eorum, quæ naturam habent illuminandi, patiens, & recipiens ipsum, ut proprium colorem: nequæ enim est hic eius proprius color: sed quousque præsens ei fuerit, quod uim habet illuminandi, lumen habetabeunte uero, quod in hoc, cessauit lumen. quousque igitur illuminatum fuerit, & aliorum colorum qualitates, & differentias similiter recipiens, quemadmodum & lumen, ministratorum fit sensibus uim cernendi habentibus: qui & ipsi constant ex corpore eodem modo perspicuo, per passionem, quæ fit in aspectibus à perspicuo eis extrinseco, quod mouetur prædicto modo à præsentia colorum. Quemadmodum autem in perspicuo interminato, & propter raritatem nullum colorem passiuè recipiente, præsentia quidem eius, quod natum est illuminare, est causa luminis, absentia uero tenebræ, sic & in terminatis corporibus plurima mistio, & præsentia maximè perspicui corporis. huiusmodi autem est illud, cuius album est proprius color: est enim hic maximè color, & maximè uisibilis, & causa, quod corpora sint magis colorata, & quod magis uideri possint. omnimoda uero huius absentia est ipsius nigri causa: quod priuationi potius ipsius coloris quàm colori simile est, colores uero inter hos ex certa quadam mixtione perspicuorum, & eorum, quæ non sunt huiusmodi, generationem habent, & differentiam. Est autem simplicium corporum maxime quidem ignis, & uisibilis sui natura, & ita perspicuus, ut prædixi, huiusmodi est, ut etiam possit aërem illuminare, & præbere ei perfectionem secundum quod est: lumen enim actus est, & forma interminati perspicui, quæ perspicuum: minime uero huiusmodi terra ipsa. ex horum autem certa quadam inter se mistione, & ex ea illorum, quæ fiunt ex horum mistione, ipsa colorum, exceptis primis, (primi autem sunt in simplicibus, & primis corporibus,) generatio est, & differentia. quemadmodum enim in odore, aliqua quidem in seipsis odorem habent, quæcunque huiusmodi generationem habent & constitutionem, qualem dicimus esse odoris generatiuam: quoddam uero inodorum quidem secundum se, receptiuum tamen, & delatiuum odorum, qui sunt in aliis: idcirco inodorum uocatur: eodem quoque modo colorem quidem habent perspicua terminata: est enim hæc coloris natura: receptiuum uero, & ministratorium coloris est quidem sui natura abscolor, quod est interminatum perspicuum. quemadmodum ergo interrogati, quidnam est superficies, dicimus solidi extremum: ita & de colore interrogati, quidnam est, merito utique dicemus, extremum perspicui terminati: quoniam, quam rationem habet ad corpus terminatum superficies, hanc rationem habet ad perspicuum terminatum color. Melius ordinatum fuisset hoc problema in eo libro, qui inscribitur, Textuum quorundam, ex libro de sensu, & sensili expositio, atque discursus.

*Quorum sunt definitiones. Caput tertium.*

**D**EFINITIONES singularium quidem non sunt, eò quod hæc cum accidentibus quibusdam, ut sint huiusmodi habent, & non semper eisdem, sed quæ transmutantur, & sensu potius quàm ratione ipsa declarante indigentibus. Sed neque alicuius communis à singularibus separati, & quod sit incorporea natura aliqua, & æterna: nam quo pacto fuerit bipes incorporeum aliquid: aut quo pacto mortale æternum: dicimus autem hominem definientes, quandoque quidem animal gressile bipes, quandoque uero animal rationale mortale. Sed sunt definitiones communium quidem, quæ sunt in ipsis singularibus: aut singularium, quo ad communia, quæ in eis sunt. nam in singularibus, hæc quidem sunt propria, & singularia, illa uero communia, & mutua: quæ in omnibus, in quibus utique fuerint, communia cum sint, & indifferentia secundum sui naturam, eò quod similis, & eiusdem naturæ sint omnia habentia ipsa, sunt causæ. animal enim rationale mortale, siquidem cum materialibus circumstantiis, & differentiis sumatur, cum quibus est ipsorum subsistentia, quæ alterius altere sunt, socratem faciunt, & calliam, & singulares homines: si autem absque his sumeretur, commune fieret: non quia non sit in unoquoque singularium hominum: cum his enim sunt propria ipsorum singularium: sed quia est in omnibus idem. huiusmodi itaque & hoc pacto communis, quia multis singularium est idem, definitiones: idcirco neque incorporeæ alicuius naturæ, & à singularibus separatæ sunt talium definitiones: hominis enim definitio, animal gressile bipes commune est in omnibus singularibus hominibus, integrum in singulis: commune eò quod in pluribus sit idem, sed non quia parte huius participet singulum,



unusquisque siquidem hominum animal est gressile bipes. ideo neque communium, ut communium sunt definitiones, sed horum, quibus singularem accidit esse naturam: nam etiam uno tantum homine subsistente eadem est hominis ratio, non enim, quia sit in multis, hæc est eius ratio, sed quia per talem naturam homo homo est, siue plures fuerint hac natura communicantes, siue non. Dicuntur autem notionum, & communium definitiones: quia ipsius intellectus est separare hominem ab his, cum quibus subsistit aliis, & per se sumere. eius uero quod cum aliis quidem subsistit, intelligitur autem seorsum ab illis, & aliis, & non ut subsistit definitio ipsius notionis, & communis esse uideretur: quia absque accidentibus, quod huiusmodi est in unoquoque intellectum, commune quoddam est, & in pluribus idem. incorruptibilia autem sunt ipsa communia, singularium in quibus sunt per successionem æternitate: eo enim quod in singularium omnium generatione simile, & idem maneat, existunt: huiusmodi enim sunt ipsa communia, non quia in his singularibus solis sint, quæ simul pariter existunt, & propter hoc sint communia: sed in omnibus, quæ sunt eiusdem speciei. idcirco etiam nihil uetuit mortale aliquid existens esse æternum: mortale enim existens ut singulare, est æternum.

*Annotatio in dialogo de hoc, si omnia fato fierent, auferrî possibile & contingens.*

*Caput quartum.*



**V**M uidentur tibi, quæ secundum seriem causarum fiunt ita fieri, ut & ipsorum omnium anteaictæ sint causæ, & ex necessitate sequatur ipsorum unumquodque ad anteaictam causam: Quo enim pacto aliter possibile est dicere fieri ea, quæ hoc modo fiunt. Quod autem necessario sequitur ad aliquam determinatam, & anteaictam causam, nonne uidetur tibi impeditum esse ab ea, ne aliter aliquo modo fiat, quam quod se habeat secundum consequentiam ad ipsam? Videtur & hoc. At uero, quod non fit, eò quod factum iri impeditum fuerit, non utique factum illud possibile dicitur: siquidem possibile id est, quod potest factum iri, cum impedimento caret: nam ex sententia illorum, qui dicunt possibile factum iri, quod non est impeditum, quod impeditum est factum iri impossibile porro fuerit: hoc uero impeditum est factum iri. Recte & hoc mihi uideris dicere. Sed si hæc uidentur tibi hoc pacto se habere, proculdubio, & quod ad hæc sequitur concesseris: est autem hoc eorum, quæ fiunt secundum seriem causarum, & ab anteaictis causis, nullum aliter fieri posse: hoc autem posito, illud quoque sequetur, ex sententia illorum, qui omnia fato fieri dicunt, sola hæc esse possiblea quotcumque fiunt, cum omne quod non fit, idcirco non fiat, quia impeditum sit factum iri ab anteaictis eorum, quæ fiunt causis. Cur enim non concesserim quæ iam concessi? Atque positum erat nobis & illud, omnia quæ hoc modo fiunt ex necessitate fieri. Positum quippe erat. Ad quæ rursum sequitur illud, sola hæc esse possiblea, quæcumque ex necessitate fiunt: nam si sola quidem possiblea sunt ea, quæ fiunt: quæ uero fiunt omnia secundum seriem causarum fiunt: quæ autem sic fiunt ex necessitate fiunt: liquet sola ea esse possiblea, quæ ex necessitate fiunt. Recte dicis. Atque iuxta eos, qui omnia fato fieri dicunt, iuxta hos omnia fiunt secundum seriem causarum. Nam quò pacto aliter? Iuxta ergo eos, qui omnia fato fieri dicunt, secundum hos, solum quod ex necessitate fit, ut quod est, aut quod erit, hoc solum possibile secundum ipsos fuerit. Neesse quippe. Sed quæ ex necessitate fiunt non possunt non facta iri: quod enim possibile est non factum iri, contingit hoc & non factum iri: quod autem contingit non factum iri, possibile est non factum iri: quare quod necessario fit, erit impossibile non factum iri. Recte dicis. Sed, si impossibile est non factum iri quod necessario fit solum, erit & possibile factum iri quod necessarium, non quod fit solum: & hoc pacto sequetur ad id, quod necessario fit, necessario non factum iri, ex quo possibile factum iri etiam non factum iri possibile est: de solo autem eo, quod necessario fit, possibile uerificatur: quod cum sit absurdum, sequetur utique ad eos, qui fato omnia fieri dicunt, possibile esse solum, quod ex necessitate fit: cum sumitur id quod ex necessitate, non ut de uiolento dicitur, sed de eo, cuius oppositum est impossibile: & si secundum eos tantum, qui omnia fato fieri dicunt, non est aliud ab eo, quod necessario fit, id quod fit, neque quod ex necessitate fit. neque est illud quidem, quod ex necessitate fit, ut dicunt, quod ui fit, quod uero necessario, quod secundum causarum consequentiam, notum est autem hoc ex eo, quod nec ui aliquid fieri potest secundum eos,



dum eos, qui omnia fato fieri dicunt: si enim quæ fato fiunt, secundum seriem causarum, & secundum diuinum quendam ordinem fiunt: nullum autem eorum, quæ secundum ordinem fiunt eiusmodi, ut sit: nullum igitur eorum, quæ fato fiunt, ut fieri: nam & si aliqui non uideantur his, qui eorum tempestate fuerunt assentire, & hoc ab ipso fato, & diuino ordine habebunt. Quid enim aliud dicere possunt illi, qui omnia, quæ fiunt, dicunt secundum quasdam incommutabiles causas fieri? Et hoc fatum appellant: dicere enim fatum ipsum facere quædam huiuscemodi, quæ absque ut non paritura sint causis ipsis, alienum prorsus à diuino ordine uidebitur. Cum autem omnia fato fiant, tollitur per uim aliquid fieri: nam & hoc fuerit secundum fatum, & ordinem, ut prius dictum est: nam secundum eos, qui omnia dicunt hoc pacto fieri, & ipsum non uelle sequi ad ipsum agens, erit secundum fatum. quod quo pacto non omnino irrationabile est, dicere quosdam cogi ab antecedentibus causis his reniti, quæ necessario sunt sequutura? Maxime quidem irrationabile. Etenim adhuc, si quæ fato fiunt, ex prouidentia fiunt, cur rationi consonum fuerit ex prouidentia aliquos his reniti, quæ bene, & recto ordine à prouidentia fiunt? Recte dicis. Etenim si necesse est hæc non facta iri, eò quod impedita sunt facta iri, non fiunt hæc, nec possibilia sunt facta iri: siquidem possibile id est, quod potest factum iri, non impeditum. Recte dicis. Quæ ergo necesse est non facta iri, hæc non sunt possibilia facta iri. at de quibus possumus, prædicentes quod non erunt, uerum dicere hæc necesse est non facta iri: si quidem hæc facta iri necesse est, quæ quis futura prædicens uerum dixerit. Quo enim pacto aliter? De quibus potest, prædicens quod non erunt, uerum dicere, hæc non poterunt facta iri. Nam quo pacto facta iri poterunt, quorum opposita ex necessitate fiunt? Sed si de omnibus iis, quæ præter fatum, potest, qui non futura prædixerit, uerum dicere, nullum eorum, quæ præter fatum, possibile erit factum iri. Recte dicis. Atqui & necesse est hæc facta iri, de quibus, quod futura sunt prædicens, uerum dicere potest, quæ uero necesse est facta iri, hæc non possunt non facta iri. Non enim est possibile. De quibus igitur, quod futura sunt prædicentem, possibile est uerum dicere, hæc non possunt non facta iri: & de omnibus his, quæ fiunt, quod futura sunt prædicentes, possibile est uerum dicere. Nam quis alius dicendi modus. Nullum igitur eorum, quæ fato fiunt possibile est non factum iri. Non enim possibile est. Sed si possibile quidem potest & non factum iri: nullum autem eorum, quæ fato fiunt possibile est & non factum iri, nullum utique eorum, quæ fiunt, possibile fuerit. Omne enim potest. Secundum quos omnia, quæ fiunt, fato fiunt, nullum etiam eorum, quæ fiunt ut possibile, & non factum iri possibile est. ostensum est autem quod nullum eorum, quæ præter fatum, aliud quod possibile est: nullum igitur possibile est, cum omne aut fato, aut præter fatum sit: neutrum autem eorum possibile est. etenim si quod fato fit possibile quis dicat, quod necessario fit, possibile utique dicet. sed si, quod possibile est factum iri, possibile & non factum iri, quod necessario fit possibile erit non factum iri. si uero præter fatum possibile quis dicat, accidet rursus huic, quod impossibile est factum iri, possibile factum iri dicere. nam quo pacto possibile est dicere id contingere factum iri, quod, cum quis non futurum prædixerit, uerum dicit: manifestum enim est, quod & si possibile aliter fuerit sui natura, ex hoc tamen quod impeditum est, uerum erat, quod prædicebatur de ipso, ipsum non futurum. etenim si hoc est possibile, quod si suppositum fuerit esse, nullum sequitur impossibile: ad omne autem id, cuius oppositum, cum prædicatur, uerum est, supponenti esse, impossibile, eò quod idem esset, & non esset: nullum eorum, de quibus contra dictionis de futuro altera pars determinate uera est, contingens fuerit: in omnibus autem aiunt alteram contra dictionis partem determinate ueram esse. Aiunt quippe. Nihil igitur est contingens. neque enim, de quibus uerum est uerbum, erit, contingens, cum impossibile sit ipsa non facta iri: neque de quibus uerum est uerbum, non erit, cum impossibile sit aliquod horum factum iri. Si enim aliquis, de quo falsum est, ex eis, quæ dicuntur, ipsum non factum iri, dicat alterum horum, contingens aut factum iri, aut non factum iri, sequetur ad hunc utraq; dicere contingentia: nam & quod contingens est factum iri, uerum, eò quod contingat & non factum iri, & quod contingens est non factum iri, huiuscemodi est, eò quod contingat ipsum factum iri: hoc autem pacto erit, de quo factum iri contingens, de hoc & non factum iri huiuscemodi: & de quo non factum iri, de hoc & factum iri contingens. cum autem idem sit æque contingens factum iri, & non factum iri, quo pacto non est absurdum in his unam quidem prædictæ contradictionis partem determinate ueram esse di-

cere, alteram uero falsam, cum proposita res utraq; æque possit? sequitur enim ad eos, qui dicunt hoc pacto fieri ea, quæ fiunt, pariter ueram affirmationem, & negationem fieri dicere in his, quæ hoc modo fiunt, aut pariter utranq; ipsarum falsam.

*Quamobrem augmentatio secundum formam solum, non autem etiam secundum materiam. Caput Quintum.*



**I** **A** **V** **G** **E** **T** **V** **R** subiectum cum eo, quod augeri dicitur: permanet autem & materia, non solum forma, non enim tota permutatur: quamobrem secundum formam solum, non autem etiam secundum materiam est augmentatio? non enim uniuersa materia, quæ est in his, quæ augentur, permutatur, sed manente aliquo ex ipsa alia adiicitur: neq; enim quod à principio seruetur: neq; forma maneret præexistentis materiæ: neq; enim in eo, quod sit tanta quædam materia, est esse ipsi materiæ: quemadmodum nec carni in eo, quod tanta sit, est esse carni. An, cum duo sint in eo quod augetur, quale scilicet, & quantum: est enim hoc, quod augetur, hoc autem est composita ex utroq; substantia: & cum ipsum quantum, ut materia, subiiciatur, forma uero qualis locum teneat: quantum quidem non manet idem, quale uero, quod est ut forma rei, quæ augetur, manet, quoniam ergo quale, quod & forma est, manet, quantum uero non manet: & causa quod ipsum non maneat idem, est materiæ ipsius fluxus: propter hoc secundum materiam quidem non augentur, quæ augentur, sed secundum formam: hæc enim est, quæ eadem manet. eius enim, quod per se subsistit, fit augmentatio secundum id, quod manet in eo: per se uero subsistit ipsum compositum, quod manet secundum formam: est enim materia id, quod fluit. nam & si permanet aliqua materia in eo, quod augetur, non est tamen prædicare de hac quod sit augmentata: eò quod ipsa quandoq; & si permanerit, postea tamen fluat, & permutetur. non enim est in eo, quod auctum est, sumere aliquam materiam, quæ per uniuersum, manens in ipso eadem numero, receperit additionem aliquam in quantitate: quancunq; enim sumperis, hæc quoq; fluit, & permutatur, & nihil ipsius idem numero manet, forma uero eadem manet, quousq; res seruetur.

*Cur, si magis aqua per frigidum, q̄ per humidum, eius quidem mutatio ex frigido in calidum non corrumpit ipsam, ex humido uero in solidum corrumpit. Caput sextum.*



**I** **M** **A** **G** **I** **S** aqua aqua est per frigidum, quàm per humidum: ut ignis quidem per calidum magis, quàm siccum, aer uero per humidum magis, quàm calidum: terra uero per siccum magis, quàm frigidum: quanam de causa, cum mutatur ex humido non est aqua: non est enim aqua glacies: si autem ex frigido mutatur, manet adhuc aqua: est enim aqua etiam cum calefacta fuerit: cum tamen ignis, si mutatur ex calido, non est amplius ignis: neq; aer, si ex humido mutetur: sed neq; terra manet, si ex sicco fuerit mutata. Hoc quoq; de ipsa quis quæsiuerit: quamobrem, si per frigidum est ei esse, intensio in frigido corrumpit ipsam: siquidem congelat ab exuberante frigiditate: cum uero congelauit, non est amplius aqua actu: neq; enim intensio in calido est ignis corruptiua: neq; in humido aeris: neq; in sicco terræ: neq; omnino alicuius alterius intensio in propria forma est corruptionis causa. An, quoniam mutatio ex frigido in calidum ipsius aquæ est aeris generatiua, nullum enim aliud corpus ex aqua possibile est per solam mutationem ex frigido factum iri: non est autem aer calidus solum, sed etiam humidus, & est esse ipsi aëri per humidum magis: est quoq; non simile humidum in aqua & aëre: est enim aqua densior, & idcirco repletiua: aeris uero humiditas est tenuis: indiget aqua mutatione, non solum ex frigido, sed etiam ex humido: & maxime, quoniam humiditas huiusmodi est aeris formatiua, in quem est mutatio aquæ per frigidum: mutatio uero aquæ ex humido a calido, & sicco, quod est in hoc, fit, ipsum attenuante, & crassitiem eius immutante: quæ mutatio tempore indiget: ob hoc, quousq; caliditas genita in aqua humiditatem ad tantum mutauerit, ut forma aeris fiat, manet adhuc aqua: quæ quidem non est talis, qualis sincera aqua, sed tenuis magis: est enim magis tenuis aqua calefacta, quàm prius: aquæ quoq; rursus frigefactæ tenues magis sunt,



quàm quæ prius non fuerint calefactæ: est enim uia aquæ ipsi mutationis in aërem caliditas: & calefacta aqua non est similis & ei, quæ prius. Quemadmodum autem caliditas humiditatem attenuat, sic rursus frigiditas condensat, & concrefcere facit: & quoniam huiuscemodi humidi concretio à frigido in tempore etiam ipsa fit, ob hoc nec aër frige factus fit statim aqua, sed manet aër, quousq; humidum adhuc tenue fuerit: mutatio autem ex humido, cum non fit ita formatium aquæ ipsum humidum, ut frigidum, aquam corrumpere uidetur: quia non solum fit aquæ mutatio in terram ex humidi mutatione, sed etiam in glaciem. ueruntamen & hæc est quodam modo adhuc aqua: est enim proportionalis aquæ calidæ glacies: ambæ enim sunt aqua aliquid passa, & in confinio, illa quidem aëris, & aquæ, hæc uero aquæ, & terræ. Est quoq; & in aliis corporibus simplicibus mutationem in iuxta posita eis corpora per mutationem alterius ipsa formantium conspiciere indigentem tempore: non enim, ut apparet, secundum alterum tantum mutantur, sed & secundum ambo: ex eò quòd mutatio secundum alterum non fit in contrarium: sed aut ad remissionem, aut ad intensionem eiusdem qualitatis solum, ex mutatione eorum, quæ sunt in eo in contrarium uidetur mutari: neq; enim est terra statim ignis, si frige factus fuerit: oportet enim fieri siccitatem quandam certam. ob hoc neq; fumus, neq; fuligo iam est terra. sed neq; si in humidum solum ignis fuerit mutatus, iam est aër: opus enim est eo pacto & certa quadam caliditate: idcirco in confinio primum quodam fit. eadem quoq; & in cæteris ratio. forma uero aquæ non est simpliciter ipsum frigidum, & si secundum hoc magis, sed frigidum cum humido. quousq; igitur seruari poterit humidum, existente in ipsa frigido, erit forma aquæ frigidum: frigidum autem humidi corruptiuum non potest amplius esse forma aquæ. huiuscemodi igitur frigidum est eius forma, cuius accretio non est aquæ, hoc est humiditatis corruptiua.

*Quo pacto non sunt contraria magnum, & paruum, cum mutatio quidem sit in contraria, quod autem augetur, & minuitur in hæc mutatur. Caput septimum.*



**S** I O M N I A, quæ mouentur ex contrario in contrarium mutantur, quæ uero augentur, & minuuntur mouentur, & hæc quoq; ex contrariis in contraria mutabuntur: mutantur autem in magnitudinem, & paruitatem: id enim quod augetur ad magnitudinem crescit, quod uero minuitur in paruitatem contrahitur: contraria igitur sunt magnum, & paruum: sed non uidentur, ut per plura in prædicamentis monstrauit Aristoteles. An non simpliciter in magnitudinem, & paruitatem mutantur quæ augentur, & minuuntur, sed quæ augentur secundum naturam: (hæc autem sunt, quæ anima nutritiua communicarunt:) in perfectionem, & perfectam magnitudinem crescut: quæ autem minuuntur à perfectione remouentur, & in imperfectam contrahuntur. in perfectam igitur magnitudinem, & in imperfectam ipsa mutantur: hæc uero contrariæ sunt, & si magnum paruo non simpliciter contrarium dicebat. Amplius quoq; motum in contraria mutationem dicit, contraria communius accipiens: est enim ei mos contraria dicere etiam priuationem, & habitum, & quæ ad aliquid opponuntur: exuperantiam quippe & defectum in moralibus contraria dicit, quæ secundum ad aliquid inter se opponuntur: & magnum ergo & paruum, cum sint ad aliquid, contraria utiq; dici possent, non proprie contraria, sed ut ea, quæ ad aliquid. An neq; secundum ipsum fit motus in ad aliquid: non enim fit dextrum alicuius dextrum, cum omnino ipsum motum fuerit: calidum uero aliquid, aut sursum fieri non motum est impossibile. Aut quanquam non ille, qui dexter factus est, per mutationem tamen habitudinis talis factus est: propter hoc enim non est in ad aliquid motus, quia non fit secundum hanc habitudinem mutatio ipsius motus ei, quod mutatur secundum habitudinem. non enim quemadmodum in loco fit mutatio ipsius, quod hoc modo mutatur, & mutatur secundum locum, similiter & mutatio in qualitate, & quantitate, sic & in ad aliquid mutatio secundum habitudinem fit, cum mouentur secundum habitudinem ea, quæ habitudinem mutant: nam, etiam si non moueantur, permutatur habitudo. non igitur, quia non fit hoc modo permutatio secundum habitudinem, propter hoc possibile est permutationem fieri absq; motu: nunquam enim quis alteri dexter factus fuerit, nisi factus fuerit ambo, aut alterius secundum locum motus. sed nec duplum aliud aliud factum fueri, nisi factus



fuerit motus ad quantitatem, quare & si non sit motus in his, quæ sunt ad aliquid, tamen per quendam motum ad diuersas habitudines fit mutatio. quare ob hoc nihil uetuerit & mutatio- nem in magnum, & paruum, quæ secundum habitudinem inter se sunt opposita, per motum fieri: si concedatur illud etiam, ea, quæ ut ad aliquid opponuntur, contraria dici, & esse, & mutationes in hæc contrarias. An non dicuntur ab ipso, quæ sunt ad aliquid contraria: neque enim exuperantia, & defectus ab Aristotele contraria dicuntur, quatenus sunt ad aliquid, ut clarum est ex hoc, quòd ipsa ad se mutuo dicuntur: nam exuberantia est defectus exuberantia, & defectus exuberantiæ defectus: contraria autem esse non secundum hanc habitudinem, sed quatenus, illud quidem plus est commensurato: id enim quod magis, huiusmodi est, hoc uero minus commensurato: tale enim est quod deficit. non enim ea, quæ quouis modo excedunt, deficiunt uel contraria dicit: sed quæ ad ipsum commensuratum ita se habent, ad quod habitudinem, quæ est in ad aliquid neutrum ipsorum amplius seruat. album etiam, & nigrum, quæ quidem uicissim dicuntur, sunt ad aliquid, & non contraria: qua uero album quidem est talis color, nigrum uero talis, contraria sunt, & non ad aliquid: contraria enim quatenus quidem ostendunt naturas quasdam maxime inter se differentes non sunt ad aliquid, quatenus uero sic appellantur, sunt ad aliquid.

*Ad id, quod non sit forma in materia, ut in subiecto. Caput octauum.*



**A**D ID, quod non sit forma in materia, ut in subiecto, neque anima in corpore dicebatur, quòd ut materia sit actu forma est causa: ipsa enim sine forma subsistere non potest: quod autem est in subiecto est in aliquo, quod est actu, quod potest etiam sine eo esse, quod est in eo subiecto. Cui illud aduersabatur, quod & corpora ad subsistendum iuuantur ab accidentibus: siquidem omne corpus necesse est cum aliqua esse figura, & colore, cum tamen concedatur hæc in subiecto esse corpore. non igitur satis est, ut non sit in subiecto aliquo, conferre ipsi subiecto ad subsistendum: aut si quidem aliquid simpliciter alicui confert ad subsistendum, non impeditum est hoc in subiecto ipso esse: ut ostensum est in corpore, & qualitate, sine qua impossibile est aliquod corpus subsistere. Si autem aliquid sit ut pars conferens illi, in quo hoc est, impossibile est esse in hoc subiecto, cuius est pars: forma uero illi, in quo est ut pars conferre uidetur. oportet enim quæstionem facere de re proposita, sit ne ut in subiecto aliquo, an non, sumentes aliquam rem, in qua est hæc, de qua est quæstio: quæritur autem modus quo est in ea. qui enim demonstrat, quòd album est in corpore ut in subiecto, cum sumpserit aliquod corpus in quo est album, & ostenderit, quòd ipsum sit in corpore, neque ut pars, neque ut id, quod potest esse sine ipso, monstrauit quòd est in subiecto ipso. sic autem oportet etiam quærentem de forma, an sit in subiecto, nec ne, sumere tale aliquid, in quo quidem iam est forma, quæritur autem modus. In materia igitur, si per se sumatur, nunquam est forma: idcirco nec utique quæreretur modus, quo sit in ea: quod neque ab initio est in ea. quoniam autem est in composita substantia talis forma, oportet tale quid præassumentes de ipsa quæstionem facere, atque quancumque sumpserimus compositam substantiam, in ipsa est forma, quæ est in ea, ut pars est compositi: nam & anima est in corpore organico, in quo est ita ut pars: si autem ut pars, minime fuerit ut in subiecto existens hoc, in quo hoc modo est, nec anima ipsa, neque aliqua omnino forma. An dicet aliquis etiam album albi quidem corporis partem esse, in subiecto tamen esse corpore, cui confert ad subsistendum: idcirco & formam compositæ quidem substantiæ partem fore, in materia uero, cui confert ad existentiam esse in subiecto: igitur oportet dicere, id in quo, an sit aliquid, ut in subiecto quæritur, oportere quidem esse omnino hoc aliquid, & actu existens: non enim in non ente possibile est esse aliquid in subiecto: eorum uero, quæ huic ad subsistendum, & actu esse conferunt, eò quòd sint in ipso, quæcumque quidem in ipso solum ad subsistendum conferunt, non autem & ad esse hoc aliquid, hæc in subiecto ipso sunt: secundum quæ enim seruans aliquid naturam propriam possibile est mutari, hæc in subiecto ipso sunt: quæcumque uero non solum ad subsistendum, sed multo antea ad esse hoc aliquid alicui conferunt, secundum quæ cum mutatur, non potest amplius id quod erat permanere, hæc porro amplius non sunt in eo, ut in subiecto: quo pacto enim fuerit in subiecto homine hoc, cuius absentia hominem corrumpit: idcirco grammatica quidem in subiecto homine est habente ipsam: uerum conferens ei ut sit grammaticus:

non enim ex absentia grammaticæ definit etiam esse homo . anima uero non est amplius in eo subiecto : quia ipsa confert ei ad esse , non autem ut sit qualis , aut quantus , aut alicubi , aut ali quod talium entium : huiuscemodi enim est forma naturalis : siquidem secundum formam est unicuique esse hoc , quod est . in composito igitur , & eo , quod est hoc aliquid propter hoc for ma non est in subiecto : est enim pars substantiæ uniuscuiusque , hoc pacto in ipsis existens , & non in materia solum : cum neque à principio ipsa sit ita subiectum , ut hoc aliquid , non habens aliquo pacto formam in se : in his autem , quæ hoc modo sunt , est id , quod in subiecto : aliquid enim , & hoc aliquid esse oportet id , in quo est illud , quod in subiecto : huiuscemodi enim est , quod ha bet partes , Amplius si subiectum quidem ab eo , quod est in ipso subiecto differt , eò quòd su biectum possit absque his esse , quæ sunt in ipso subiecto : nam & si non possit cæra esse absque figu ra , absque tamen hac figura , quam nunc habet , possibile est ipsam esse : quod autem est in subie cto non potest separato ab eo subiecto esse : materiam uero & formam impossibile est sine se mu tuo esse , cum ipsa ad se mutuo dicantur : quæ uero ad se mutuo dicuntur simul sunt natura : siquidem ad aliquid ea sunt , quibus id est esse , eò quòd ad aliquid quodammodo se habeant : neque etiam hac ratione erit forma in subiecto ipsa materia . An potest & de materia dici , quòd absque forma quidem esse non potest , quemadmodum nec cæra absque figura : sed absque hac forma possibile est ipsam esse , quemadmodum & cæram absque hac figura . An si anima non potest in aliquo alio corpore ab organico esse , aut facta iri , huius autem est pars , minime fuerit in subie cto : figurarum autem unaquæque non fit in determinato corpore . Amplius homo quidem est & cum anima : est etiam cum colore atque figura : sed non eodem modo : sed cum anima quidem ut parte , & quæ maxime ei confert , ut sit homo : in quo enim fuerit huiusmodi anima , hoc est homo : non est item color & figura hoc modo in homine : non enim omne quod habet huiusce modi figuram , aut colorem est homo : idcirco hæc quidem in subiecto ipso sunt , non item & anima ipsa . eadem quoque ratio & in aliis naturalibus formis .

*Cur non bonæ habitudini ægritudo potius quàm mala habitudo opponitur . Caput nonum .*



**Q**UÆSITVM est , cur non bonæ habitudini , quæ est intensa sanitas , ægritudo potius quàm mala habitudo opponitur : siquidem contraria plurimum inter se distant in eodem genere . si enim mala habitudo in sano sit , erit quædam remissa sanitas : sic autem erit intensæ sanitati remissa sanitas contraria : absurdum autem est sanitati quidem ægritudinem contrariam dicere , non item intensæ quoque sanitati ægritudinem , aut in ægritudine intensionem : hæc enim erit plurimum ab ipsa distans . An siquidem circa idem fierent & sanitas , & bona habitudo , necnon ægritudo , & ma la habitudo , esset utique rectum , quod dicitur : quoniam oportet circa idem contraria fieri . si au tem in alio quidem est sanitas , in alio uero bona habitudo : & in quo quidem est sanitas , in hoc & ægritudo : in quo uero mala habitudo , in hoc & bona habitudo : neque bona habitudo fuerit intensa sanitas , neque ipsi contrarium ægritudo : cum neque initio circa eadem ipsa fiat : fiunt enim sanitas & ægritudo circa potentias primorum corporum , ex quibus animalia , quæ sunt ipsa ele menta , quorum potentia sunt caliditas , frigiditas , humiditas , siccitas : nam in harum poten tiarum mutua mensura est sanitas , in earundem uero incommensuratione est ægritudo : bona autem , & mala habitudo circa hæc fiunt , circa quæ robur , & imbecillitas : est enim similis bona habitudo robori , mala uero habitudo imbecillitati . nam qui habet robur maius , quàm sit ro bur secundum simplicem sanitatem , accurate bene habituatus uocatur : & qui habituatus est ita , fortis est : & qui imbecillior est , quàm sit , qui secundum simpliciter sanorum robur , male ha bituatus secundum illud , atque robur & imbecillitas in commensuratione similarium partium in animalibus , & incommensuratione habent esse : robur quidem in harum commensuratione , imbecillitas uero in earundem incommensuratione : quare & bona habitudo , & mala habitudo in his utique merito fiunt : & erit utique ut imbecillitas robori , ita bonæ habitudini mala habitudo contrarium . idcirco & si , circa quæ sanitas , circa eadem , & bona habitudo , uersaretur , dicere bonam habitudinem sanitatem intensam , rationem utique aliquam haberet : sed quia non est cir ca eadem , non decenter ita dici posset . Nisi forte , quia aduenit bona habitudo præ supposita om nino sanitati , facta quidem aliqua additione ei , qui est sanus : sed non secundum sanitatem , nec secundum huius commensurationem .

Alex. Aphro. Quæ .

B iii



*Quo pacto, si quatuor sunt causæ, non erit ex in diuinis corporibus  
subiectum ipsa materia. Caput decimum.*

**I**NATURALIUM principia, & elementa ea sunt, de quibus Aristoteles dixit in Physico auditu, sunt autem hæc, materia, forma, & efficiens, & ipsum cuius gratia, corpus circulo uersatile, aut non erit naturale corpus, aut erit materia, & subiectum in illo, aut non dicet omnia naturalium principia: quid enim est subiectum illi. at uero naturale corpus & illud: omne enim corpus aut naturale est, aut mathematicum: non est autem mathematicum illud, cum omne, quod est in motu, qui ex ipso procedit, corpus est naturale: illud autem est in motu, siquidem & semper mobile, & causam motus in seipso habens. An si natura secundum ipsum principium motus, & status, in quibus est primo, & non secundum accidens: non habet autem illud principium status in se, neque utique naturam habebit: si uero naturam non habebit, neque naturale corpus utique erit. Sed si non naturale, quale nam? non enim proculdubio mathematicum, quia animatum est: omne autem corpus animatum est naturale. si autem non est naturale corpus, non habet subiectum ipsam materiam: siquidem materia est, quæ successiue uim habet recipiendi contraria. An siquidem materiam dicere solum ultimum subiectum contrariorum successiue receptiuum, in ipsa materia non esset compræhensum subiectum quinto corpori: si autem definit materiam etiam hoc modo, ultimum subiectum informe secundum se, in materia, quæ sic dicitur, compræhendetur etiam subiectum diuino corpori: est enim communior hæc ratio principii secundum subiectum, & complectens in seipso utraq; subiecta. Non tamen si diuersæ sunt inter se materię, & quæ est subiecta diuino corpori, & quæ in generabilibus & corruptibilibus, iam sunt etiam compositæ: si enim esset aliquod eis unum subiectum, indigerent ipsæ differentiis, quibus specificatę, habentes idem subiectum, inter se differrent. si autem sunt omnino diuersæ, non necesse est ipsas specificis quibusdam differentis inter se differre: neque enim forma, & materia sunt ob hoc etiam compositæ, quia sunt inter se diuersæ.

*Quo modo dictum sit in primo de Anima. Animal enim uniuersale,  
aut nihil est, aut posterius. Caput undecimum.*

**Q**UÆREBATVR, quomodo dictum est in primo de Anima ab Aristotele, Animal enim uniuersale, aut nihil est, aut posterius. Quod quidem potest usus esse animali exemplo, in ipsa anima, & his, quæ sic uniuersalia dicuntur, ut habeant primum & secundum, uolens quomodo se habet ostendere, dictum est à me in commentario illius libri. Possumus tamen ostendere, quod dictum est in animali, etiam in his, quæ proprie genera sunt conuenire. quoniam enim genera uniuersalia sunt: uniuersalia uero quibusdam existentibus uniuersalia sunt: non enim si est nihil, est uniuersale, & genus, & uniuoce prædicatur: sed oportet esse rem aliquam, cui ipsum uniuersale accidit: & est illud quidem res aliqua, cui uniuersale accidit: ipsum autem uniuersale non est proprie aliqua res, sed quoddam alteri accidens: ut animal est quædam res, & naturæ cuiusdam significatiua: significat enim substantiam animatam uim sentiendi habentem: quod secundum quidem sui naturam non est uniuersale: nihil enim minus erit, etiam si unum numero animal esse suppositum fuerit. inest autem ei cum sit huiusmodi in pluribus esse, quæ etiam specie inter se differunt: accidit ergo hoc ei: quod enim non est in substantia alicuius est ei accidens. quoniam ergo genus huiusmodi non est aliqua res, sed accidens alicui rei, dixit ipsum Aristoteles, aut nihil esse, cum non proprie sit: animal enim, ut genus, significare uolens, addidit animali uniuersale, dicens, animal enim uniuersale. hoc igitur animal, ut genus aut nihil est, quia non naturam aliquam propriam significat, sed est accidens alicui rei post accedens: aut, si etiam quis, quod hoc pacto est, ens dicat, posterius erit illo, cui inest: rem enim oportet esse priorem, quam sit accidens illi. Quod autem sit hoc re posterius, clarum. cum enim est animal, non necesse est animal, ut genus, esse. potest enim ex suppositione etiam unum aliquod animal esse, quoniam non in eius substantia ipsum uniuersale. sed si sit animal, ut genus, necesse est & animal esse. & sublata quidem substantia animata sensitua, neque utique animal erit, ut genus: impossibile enim est, quod non est, esse in pluribus. si tamen sublatum fuerit animal,



ut genus, non necesse est & substantiam animatam sensitiuam sublatam iri: potest enim in uno esse, ut dixi: & propter hoc dictum est illud, aut nihil est, aut posterius: cum autem sit posterius re, cui accidit, rursus ipsum fit prius unoquoque eorum, quæ in parte, & quæ sunt sub eo: quia esse quidem generi est ut de multis, & differentibus prædicetur: esse uero in parte est esse cum multis sub uno aliquo, aut genere, aut specie. idcirco sublato quidem uno eorum, quæ sub communi, non simul aufertur ipsum commune, quia est in pluribus: sed si sublatum fuerit ipsum commune, nullum utique erit eorum, quæ sunt sub communi, quibus est esse ut illud in seipsis habeant.

*Idem alio pacto accuratius ordinatum.*



Værebatur, quomodo dixit in primo de Anima Aristoteles, Animal enim uniuersale, aut nihil est, aut posterius. Quòd quidem potest usus esse animali, exemplo in ipsa anima, & his, quæ sic dicuntur uniuersalia, ut habeant primum & secundum, uolens quomodo se habet ostendere, dictum est à me in commentario illius libri. Cum enim dixisset, quòd oportet cauere, ne id inconsideratum relinquamus, specie ne solum differant animæ inter se, aut etiam genere: si enim hoc determinatum fuerit, non latebit nos, sit ne aliqua communis animæ ratio, & generica: si autem non sint eiusdem generis, cuiusque generis animæ propria erit: ipsum enim commune animæ nomine solum est, non item & re. Cum ostendisset quoque, quomodo cuiusque propria, exemplis usus est, quæ sub uno genere sunt: quod & obscurius fecit quod dicitur. Si enim sunt hæc, inquit, non eiusdem generis, equus, & canis, & homo, & deus, ut sit ipsorum genus animal, propria cuiusque ipsorum ratio erit: animal uero, quod communiter de ipsis prædicatur, aut nullam propriam significat naturam, sed erit æquiuocum: aut etiam si significat, erit, ut uidetur se habere in his, quæ multipliciter dicuntur, eorum, in quibus est prius, & posterius. quod enim communiter de his, quæ sic se habent, prædicatur significat quidem naturam quandam, sed non quæ in omnibus eodem modo se habeat, de quibus prædicatur: idcirco posterius est hoc his, quæ sunt sub eo: quod enim de aliquibus, ut genus, prædicatur sublato secum simul aufert omnia, quæ sunt sub ipso, quorum nullo sublato simul aufertur: ideo est primum natura: quod autem, in quibus est prius, & posterius, sublato primo habente, simul aufertur & quod ab ipso significatur: idcirco non amplius primum, sed posterius fit. Ostendet autem & animam ipsam huiusmodi quid esse: & ob hoc merito proponit inquisitionem de ipso. Cum autem fecisset sermonem de animali, quia illa, de quibus meminit, erant sub animali, addidit illud, similiter autem & si commune aliquod aliter prædicetur, ostendens, quod omne, siquid sic communiter de aliquibus prædicatur, ut non sit genus ipsorum, aut nihil erit, aut posterius, ut prius dictum est. hoc quidem in illis dictum est. Possumus tamen ostendere quod dictum est in animali etiam in his, quæ propriæ genera sunt conuenire. quoniam enim genera uniuersalia sunt, uniuersalia uero quibusdam existentibus uniuersalia sunt: non enim, si est nihil, est uniuersale, & genus, & uniuoce prædicatur: atqui cum sit genus, ens quoque est hoc pacto: subiectum quidem, cui uniuersale accidit, res quædam est: uniuersale uero, quod est illi accidens, non res quædam per se est, sed accidens quid illi. ut animal est quædam res, & naturæ cuiusdam significatiua: significat enim substantiam animatam sentiendi uim habentem, quod secundum sui naturam non est uniuersale: nihil enim minus erit, etiam si unum numero animal esse suppositum fuerit. inest autem ei, cum sit huiusmodi, in pluribus esse, quæ etiam specie inter se differunt. accidit ergo hoc ei: quod enim non est in substantia alicuius est ei accidens. quoniam ergo genus huiusmodi non est aliqua res, sed accidens alicui rei, dixit ipsum Aristoteles, aut nihil esse, cum non proprie sit: animal enim, ut genus, significare uolens, addidit animali, uniuersale, dicens, animal enim uniuersale. hoc igitur animal ut genus, aut nihil est: quia non naturam aliquam propriam significat: sed est accidens alicui rei post accedens: aut etiam, si quis quod hoc pacto est ens dicat, posterius erit illo, cui inest: rem enim oportet esse priorem, quam sit accidens illi. Quòd autem sit hoc re posterius clarum. cum enim est animal, non necesse est animal ut genus esse: potest enim ex suppositione etiam unum aliquod animal esse: quoniam non in eius substantia ipsum uniuersale. Sed si sit animal, ut genus, necesse est & animal esse: & sublata quidem substantia animata sensitiua, nec utique animal erit ut genus: impossibile enim est, quod

non est esse in pluribus . si tamen sublatum fuerit animal ut genus , non necesse est & substantiam animatam sensitiuam sublatam iri : potest enim in uno esse ut dixi: & propter hæc dictum est illud , aut nihil est , aut posterius . Cum autem sit posterius re , cui accidit , rursus ipsum fit prius unoquoq; eorum , quæ in parte , & quæ sunt sub eo : quia esse quidem generi est , ut de multis , & differentibus prædicetur , esse uero in parte est esse cum multis sub uno aliquo , aut genere , aut specie . idcirco , sublato quidem uno eorum , quæ sub communi , non simul auferatur ipsum commune , quia est in pluribus : sed si sublatum fuerit ipsum commune , nullum utiq; erit eorum , quæ sunt sub communi , quibus est esse , ut illud in seipsis habeant .

*Quo pacto possibile est simul eundem uoluptate, & dolore affici, si contraria hæc.*

*Caput duodecimum .*



**S** impossibile est contraria simul eidem inesse , quo pacto possibile est eundem simul uoluptate , & dolore affici? quod accidit sitientibus , & bibentibus : similiter quoq; & famescentibus , & comedentibus : necnon scabiosis , & scalpentibus se . aut enim non est contraria uoluptas dolori , aut non est uerum non posse simul contraria eidem inesse . Neq; quòd impossibile sit contraria simul eidem inesse est simpliciter uerum , sed secundum idem : nec simpliciter uoluptas dolori contraria est: non enim omnis uoluptas omni dolori contraria : non est enim uoluptati , quæ est ex speculatione , dolor , qui est ex siti , contrarius : sed , quæ est ab eodem uoluptas , dolori , qui est ab eodem , est contraria : quas & impossibile est simul eidem inesse : neq; enim simul uoluptate , & dolore affici possibile est speculando quòd diameter est lateri incommensurabilis . ob id neq; famescentem , dum famescit , possibile est simul uoluptate , & dolore affici : cum tamen dolore ex fame , simul ex comestione uoluptate affici non est impossibile : non enim est contrarius illi uoluptati huius modi dolor : est enim dolor in indigentia , uoluptas uero in indigentia ipsius medela : idcirco , quousq; quidem fuerit indigens medela , medelam recipiens , uoluptate afficitur : simul autem medela indiget , & est in dolore . quòd enim non ab eodem sit uoluptas , & dolor , manifestum est ex eo , quòd qui famescunt , non autem cibantur , dolore solum afficiuntur , & eò quòd , qui cibantur , minuunt dolorem . hoc pacto indigentia quidem doloris sola est causa , repletio uero uoluptatis . Scabiosi quoq; , & scalpentes , non , quia scalpunt se , dolore afficiuntur , sed quia iterum indigent scalpore : quemadmodum & qui cibantur , quia adhuc indigent , dolore afficiuntur , non quia cibentur .

*Quod non eodem modo & secundum alias sectas , & secundum Epicurum introducuntur colores , ut dicebat Censorinus Academicus , Caput decimumtertium .*



**Q**UOD non eodem modo secundum Epicurum introducuntur colores , ut dicebat quidam eius opinionem adducens , & secundum alias sectas . nam hic quidem in indiuiduis elementis , quæ principia supponit omnium , nihil horum dicit esse : secundum quos autem elementa quatuor , secundum hos in elementis sunt & hi . ideo secundum hos quidem ex præexistentibus coloribus fiunt colores quidam . secundum quem uero non sunt in elementis hi , ex non præexistentibus est ipsorum generatio . quo igitur pacto , si supponeret quis indiuidua esse corpora principia entium , non solum habentia figuram , & magnitudinem , & resistantiam , sed etiam colorem , non eodem modo & secundum hunc est colorum generatio : ( est enim ex præexistente colore , & eo , qui in elementis : ) & secundum quem hæc elementa non habent colorem , sic , neq; si non atoma quis elementa diceret , sed diceret ipsa quatuor , eò quòd in his sint & cum aliis simul ipsi colores , neq; hic utiq; similiter Epicuro colorum introduceret naturam . quemadmodum enim , quæ fiunt ex elementis , nullam haberent resistantiam , si nulla omnino esset resistantia in elementis , ita pariter nullum eorum , quæ fiunt , colorem haberet , si nullus esset color in elementis . Quærere autem unde in elementis , igne , & aqua , & aliis fiunt colores , par est , ac si quis quærat unde in atomis sunt figurae . Quod uero hæc quidem à nonnullis dicantur esse genita & corruptibilia , atomi uero ingenitæ ab his , qui illis elementis utuntur , nihil refert : nam & secundum quos elementa hæc genita sunt , & corruptibilia , secundum hos numero genitum habent hæc & corruptibile , specie



bile, specie uero incorruptibilia, & ingenita sunt: nam in se mutuo mutantur, & ex se mutuo fiunt: quare & in horum generatione ex præexistentibus est generatio. quemadmodum ergo aliorum, ita quoque & ipsorum colorum.

*Quod, secundum quos solum honestum bonum est, nullum Diu hominibus præbent bonum. Caput decimumquartum.*



**S** I D I I hominibus prouident, bonum aliquod eis præbent: omne enim, quod alicui prouidet, bonum aliquod ei, cui prouidet, adipiscitur: quemadmodum, quod nullum bonum alicui adipiscitur, hoc neque utique ei prouidet: at qui secundum quos solum honestum est bonum, nihil Diu hominibus acquirunt, ut ostendit: secundum quos igitur solum honestum bonum, Diu non prouident hominibus. Quod autem nullum hominibus bonum secundum prædictos fit hinc est manifestum. honestum in nobis: quod in nobis, hoc ex nobis ipsis possidemus: quod à nobis ipsis possidemus, hoc à nullo alio nobis aduenit: igitur honestum à nullo alio nobis aduenit: si à nullo, neque à Diis ipsis: at uero idem est bonum atque honestum: secundum quos igitur solum honestum bonum, nullum hominibus bonum à Diis aduenit.

*Quod, si eadem materia est in Diuinis, erunt et illa corruptibilia. Caput decimumquintum.*



**M** A T E R I A aut eadem in diuinis, & generabilibus & corruptibilibus, aut altera: sed si quidem eadem, erunt & illa corruptibilia: cum illa, quibus quod potentia est subiicitur, hæc sunt corruptibilia, ut ostensum est ab Aristotele, & in aliis, & etiam in primo de Cælo: si autem alia, manifestum quod differt subiecta materia generabilibus & corruptibilibus ab ea, quæ diuinis subiicitur. si autem hoc habebit aliquam differentiam ad ipsam: hoc autem modo neque qualitibus carens amplius utique fuerit, neque simplex. An neque omne, quod ab aliquo differt differentia differt: si quidem est proprie differentia, qua genus in proprias species diuiditur. non ens quippe ab ente differt, sed non quia differentiam habeat: sed, neque quia differt ab aliquo, iam ob hoc & compositum est. Verum neque entia ipsa inter se, cum prædicamentis differant, iam & differentiis differunt: quia neque sub communi aliquo genere sunt ipsa decem genera: ostensum est enim non esse genus ipsum ens. Amplius multa entia, eò quod non habeant aliqua, differunt ab habentibus illa, uerbi gratia non habere capillos, aut manus, aut quid huiusmodi: non habere autem aliquid, & esse priuatum non est qualitas. Amplius quoque non omnis differentia est qualitas: si enim differentia est, qua contra diuiduntur inter se, quæ sunt ex eodem genere, iam utique erit cuiusque speciei differentia, cuius est differentia, secundum quod est esse ipsi hoc, cuius est declaratiua. At uero omnium, quæ natura constant, quibus non materia sola est substantia, sed etiam forma, in his differentia declaratiua utique fuerit substantiæ alicuius, sed non qualitatis: & quæ huiusmodi differentiis inter se differunt, substantia, non qualitate differunt, quare cum & ipsa materia sit substantia, eò quod ipsa in substantia sit contrariorum receptiua: qui dicit in hoc differre hanc materiam ab illa, non qualitate differre dicit: quoniam ponentes materiam contrariorum esse receptiuam ipsam qualitibus carentem esse dicunt: manifestum, quod non dicunt esse qualitatem ipsius hoc, quod est esse contrariorum receptiuam. si autem non est hoc qualitas materiæ, neque qui dicunt materiam generabilibus subiectam ab eo, quod est in diuinis, subiecto differre, eò quod hoc habent, qualitate ipsam differre dicent. si enim contrariorum receptiuum qualitatem habet, quatenus est huiusmodi, non quia differt hoc habens à non habente, in qualitate erit: sed quia in propria natura habet ipsam, quam necesse est ipsam seruare, siue ab aliquo differat, siue non.

*Expositio textus dicti in primo Physicæ Auscultationis Aristotelis, de eo, quod contraria omnes quodam modo principia faciunt. Caput decimumsextum.*



**Q** U O D quidem contraria quodammodo omnes principia faciunt manifestum est: & hoc merito: oportet enim principia neque ex se mutuo esse, neque ex aliis, & ex his omnia. contrariis autem primis hæc in sunt: ex eo quidem quod sunt prima, non ex aliis: ex eo uero quod sunt contraria, non sunt, ex se mutuo, Du-

Alex. Aphro. Quæ.

C

bitatum est, quid nam est quod per hunc textum dictum est: & cur non ex se mutuo contraria: aut non ex aliis & priora. nam & quod ex se inuicem contraria fiant ipse paulo procedens dicit. cum enim ostendisset quaedam, subintulit, si ergo hoc est uerum, omne utiq; quod fit, fiet, & corruptetur, quod corrumpitur, aut ex contrariis in contraria, aut horum media: media autem ex contrariis sunt, ut colores ex albo & nigro: quare omnia, quae natura facta fuerint, aut contraria, aut ex contrariis. Dicere quoq; ipsa prima contraria non ex aliis fieri dubitauerit utiq; quis quo pacto dicitur. quatenus enim prima esse contraria supponitur, non utiq; facta fuerint ex quibusdam praexistentibus contrariis: non enim essent amplius ipsa prima. Sed quo pacto, nisi hoc fiat, aeterna erunt prima contraria: aut enim oportebit ipsa inuicem mutari, ut fiat aliquid ex ipsis. sed hoc pacto non seruantur utiq; nec semper manerent, nec incorruptibilia, nec immutabilia essent inter se: aut si semper manerent eadem, nec per mutationem utiq; nec per alterationem aliquam fierent, quae fiunt, sed compositione, & concretionem, & disgregationem primorum inter se, & certa quadam compositione, & ordine: non sic autem se habere ei uidetur. An ex se mutuo fieri non dicit ipsa contraria: quia non sic fieri ex se inuicem possunt, ut permanentibus: non enim manet unum contrarium sub altero: uidetur autem omne, quod fit ex aliquo, ut permanente ipso, fieri, ut ipse procedens ostendit, & explicat. si autem hoc quidem pacto non fiant ex se mutuo, sed secundum subiecti ipsius successiue ad utrunq; ipsorum mutationem fiunt, nihil uetabit & prima contraria, inter se mutuo hoc pacto mutata, causas fieri generationis posterioribus. Sed si hoc modo mutantur, quo modo manent adhuc perpetua? aut quomodo differrent a non primis contrariis? etenim mutatio horum mutua hoc modo fit. An differant utiq; prima contraria a non primis. primum quidem, eò quod ex illis, quae fiunt omnia fiunt: nam ex forma quadam, & priuatione quadam, quae successiue in materia fiunt, generationes omnium sunt, & corruptiones: non item & ex albo & nigro, aut dulci & amaro, aut quibusdam his similibus contrariis. Amplius ipsa quidem posteriora contraria etiam inuicem mutantur, eò quod fiant successiue in materia, quod habent & prima contraria, sed & generantur ipsa a principio ex illis: nam per certum quendam habitum, & priuationem est humorum generatio, & colorum, & aliorum, quae his proportionantur contrariorum: ex nullo autem immutato priora contraria fiunt: ideo & aeterna secundum hoc, eò quod nullum ipsis praestelligatur primum, ex quo sit horum generatio. Poterunt quoq; & aeterna demonstrari. non enim si singulares formae, & priuationes ostenduntur successiue inuicem mutari, propter hoc non aeterna: sed si semper appareant necessario circa materiam utrunq; ipsorum existens, erunt utiq; aeterna habitus, & priuatio: & si non hic habitus, neq; haec priuatio aeterna sit. Quod autem necesse sit haec semper esse manifestum est. primum quidem, ex eo quod materia aeterna existens nunquam potest esse sine forma, nisi intelligentia tantum. secundo, ex eo quod ipsa est potentia opposita, & contraria: eò quod non possit simul esse in contrariis actu, necesse est, cum alterum contrariorum ei affuerit, potentia alterum esse: quod autem est in potentia, tunc est in priuatione illius, ad quod est in potentia: necesse est materiam semper esse cum forma aliqua & priuatione: si autem semper cum utriusq; & nunquam est, quando sumpta materia, aut omnia, quae potest, simul actu erit, aut omnia quae potest, potentia, nullum autem eorum, quae potest, actu: nihil enim utiq; ipsa esset: necesse est prima contraria aeterna esse.

*Quod non sit forma in materia, ut in subiecto. Caput decimumseptimum.*



**S**I ALIQUA forma alicuius est in subiecto, aut est in materia prima in subiecto, aut in corpore, cuius est forma, aut in corpore, quod in hoc mutatur. Sed neq; in prima materia possibile est, ut in subiecto, esse, quia neq; a principio supponitur talis materia actu, sed indiget ad existendum ipsa forma: neq; enim materiam sine forma possibile est subsistere, neq; formam sine materia: utraq; enim ipsarum altera indiget ad esse actu, & ad existere: oportet autem id, in quo est aliquid, ut in subiecto, ipsum esse primum actu, nihil adiutum ut sit id, quod subiicitur ab eo, quod est in ipso subiecto. Sed neq; in corpore, in quo est, & cuius est forma possibile est in illo esse, ut in subiecto: est enim pars huius, siquidem secundum hanc esse illi. Sed neq; in corpore, quod in hoc mutatur, utiq; fuerit: quia neq; illud est, quod a principio, sed est corruptum: mutatio enim corporum secundum formas est corruptio, nullam itaq; formam materialem, & alicuius



existentem possibile est esse in subiecto. Si autem hoc, forma quoque, & anima animati corporis neque ipsa utique fuerit in subiecto. nam neque in animali: est enim pars animalis principalissima ipsa anima: neque in corpore, quod in animatum corpus mutatur. quomodo enim in corrupto: nam corruptio in illo est facta mutatio in animatum corpus. omninoque impossibile est animam in aliquo esse, quod animam non habet. quod autem ab initio non est in aliquo, neque utique in subiecto ipso fuerit. si autem, in quo est quidem corpore, forma illius est, & pars: in quo autem ab initio non est, nec in subiecto illo erit: non erit utique anima in subiecto aliquo.

*Quod non possibile est mundum esse Dei voluntate incorruptibilem, si sui natura corruptibilis sit. Caput decimumoctauum.*



**P**OSSIBILE aut esse, aut factum iri de his prædicatur proprie, quæ contingunt & non esse, & non facta iri hæc, quæ dicuntur possible aut esse, aut facta iri: siquidem dicimus possibile esse, quod potest esse, aut factum iri, cum non est impeditum. non enim omnino ex eo, quod factum est ipsum possibile iudicatur, sed ex eo, quod ipsum non impeditum sit factum iri: possibile enim est nihil minus, quod non impeditur ab aliquo casu factum iri, ad quod aptitudinem habet, & si non fiat. potest enim Dion grammaticus factum iri, quousque fuerit, & si non fiat, nisi ipsum posse grammaticum factum iri fuerit impeditum. si autem huiuscemodi, manifestum quod uerificabitur utique possibile factum iri hoc aliquid, in quibus possibile fuerit idem hoc & non factum iri. quod autem ex necessitate aliquid aut est, aut fit, hoc non est uerum dicere posse factum iri, nisi quis possibili utatur pro necessario: & impossibile quod fit tale, quia est impeditum, & cadens à possibili propter impediendum ipsum factum iri casum. hoc igitur possibile secundum sui naturam in his utique fiet, & dicetur, quæ ut fiant, & non fiant, ex propria natura præparationem, & aptitudinem habent. idcirco palea quidem, quam possibile est combustam iri, & non combustam iri, impossibile est combustam iri, si in atomum redacta fuerit: & lapillus, qui uideri potest, pariter & non uideri, sit impossibilis uideri, quando in profundo factus extiterit: eo quod impedita sit ad actum uenisse aptitudo ad alterum eorum, quæ poterat. diametrum uero esse lateri commensurabilem non item est impossibile, quia sit impedita. à principio enim recipere non posse dicitur hoc, quod sit lateri commensurabilis: sed ipsam incommensurabilem esse dicentes, commensurabile de ipsa impossibile prædicamus. Ipsum quoque diuinum ex necessitate incorruptibile esse dicentes, impossibile esse dicimus ipsum sui natura corruptum iri. Cum ergo duplicia sint impossibilia, illa quidem natura, hæc uero quia impedita sunt: & natura quidem impossibilia sint hæc, quibus inesse ipsis opposita ex necessitate non inest: ex eo autem quod impedita sunt hæc, quæ habentia ad hoc ut fiant naturalem aptitudinem, ab aliquo in ipsis casu impediuntur: & cum solum impossibilia fieri possint ex impedimento alicuius contingentium, aut possibilium: quoniam potentia erant, non autem ex necessitate: siquidem mundus, genitus existens, potentiam habet ut corrumpatur, & non corrumpatur, poterit ab aliquo impeditus corrumpi, factus impossibilis ad corruptionem. si autem est ex necessitate, & in natura cuiusque, quod generatur corruptum iri, ex necessitate utique inerit omni, quod generatur oportere ipsum corruptum iri: cui autem inest ex necessitate ipsum corruptum iri, hoc non potest non corruptum iri: quia ad æternitatem sui natura peruenire non potest. quare & mundus corruptibilis existens ex necessitate, siquidem & genitus, sui natura æternitatis minime est capax: quod autem hoc modo æternitatis minime capax est, secundum sui naturam æternitatem accipere non potest: quod autem est hoc modo impossibile, cum omnibus sit impossibile etiam ipsis Diis huiuscemodi fuerit. neque enim, quod ex necessitate inest alicui, inesse ei possibile est unquam impeditum iri, & non esse hoc modo inexistens: neque quod impossibile est inesse possibile est inexistens factum iri: sola enim illa inesse quibusdam impediti possunt, quæ & habendi ipsa, & non habendi naturalem habent facultatem, quæ etiam absque impedimento possunt in illo non facta iri. sed quæ ex necessitate ad quædam sequuntur, non possunt hæc impediti, quin futura sint: erit enim hoc modo simul quod fit, & quod non fit: quod fit quidem, quia necessarium erat factum iri: quod non fit autem, quia erat impeditum: hoc autem est impossibile: impossibile est igitur, & quod corruptibile est à corruptione prohiberi: quia necessarium est corruptibili ipsum corruptum iri, & ipsum non

corruptum iri impossibile: erit enim hoc pacto simul corruptibile & non corruptibile. Quod au-  
 tem impossibilia sui natura etiam Diis sint huiuscemodi, etiam Plato ipse testatur per ea, quæ  
 dicit. Sed neq; aboleri mala possibile est o Theodore: contrarium enim aliquid bono semper  
 esse necesse est: neq; illa apud Deos locum habere, sed mortalem hanc naturam, &  
 hunc locum circumuagari necesse est.

*Quomodo eadem potentia simul contrariorum esse dicitur. Caput decimumnonum.*

**A**DEMPotentia contrariorum esse dicitur, non quia possint ipsa contraria  
 circa id, quod ipsorum habet potentias simul fieri, hoc enim est impossibile, sed  
 quia non hoc modo se habet, quod habet contrariorum potentias, ut primo de-  
 beat hoc contrariorum recipere, post uero hoc, hoc: in omni enim tempore con-  
 tingit quod in neutro contrariorum est in quouis ipsorum factum iri, & non de-  
 terminate in hoc: idcirco & dicitur simul habere contrariorum potentias. Contingere enim,  
 quantum est in natura contraria recipientis, quando alterum in ipso fit, nihil minus loco huius  
 alterum in ipso factum iri, causa est huius, quod simul ipsorum potentias habet: nam penes ip-  
 sorum agentia hoc primum contrariorum in utroq; receptiuo fit, eò quod hoc sit præsens, non  
 eò quod habeat talem habitudinem ad ipsum, aut cum ualidiori potentia ipsum moueat: si  
 enim non simul potentias ipsorum haberet, sed in alio, & in alio tempore, impossibile utiq; es-  
 set aliquando hoc aliquod contrariorum ipsum recipere, cum sic alterum ipsorum in se esse præ-  
 assumpsisset, & si neutrum adsit, & si adsit ei effectiuum, eò quod non habeat tunc potentiam  
 ipsum recipiendi. si autem nullum est tempus, in quo receptiuum contrariorum æqualiter im-  
 peditum sit aliquod ipsorum habere: nam tunc solum alterum ipsorum impeditur in receptiuo  
 factum iri, cum ab altero receptiuum ipsorum fuerit præoccupatum, eò quod impossibile sit  
 contraria simul inuicem coexistere: nihil tamen impeditum est, quantum est ex natura recepti-  
 ui, corrumpi ipsum præexistens, eò quod receptiuum potentiam habeat huius, quod effe-  
 ctiuum in ipso fiat: etenim quando est in altero contrariorum, tunc habet potentiam quod mu-  
 tetur in alterum: si enim non haberet quod est in altero contrariorum potentiam, ut mutare-  
 tur in alterum, maneret utiq; in altero, cum impossibile esset amplius in hoc mutari: si autem  
 mutatur, manifestum quod, eò quod habet potentiam ut recipiat, & mutetur, mutabitur utiq;  
 omne in ipsum. uerum et existentis in ipso contrarii habet potentiam: non enim, quod non potest  
 esse in ipso, est in ipso: quando enim potentiam habet alterius contrariorum, tunc habet & alte-  
 rius: quare simul quidem utrorunq;: & quando alterius etiam alterius: & si alterum præassum-  
 pserit nihil minus quantum est ex natura susceptiui, cum potuisset etiam hoc præassumpsisse,  
 fit horum, quorum habet potentiam, hoc quidem habens, illud uero habiturum.

*Quamobrem æstate sumus somnolentiores, si somnus est propter connati nobis calidi  
 ad intra retrocessionem. Caput vigesimum.*

**S**I SOMNVS est propter connati nobis calidi ad intra retrocessionem,  
 æstate uero retrocessit magis calor ad exteriora, propter quid æstate somnolen-  
 tiores sumus, cum somnus fiat, eò quod occupetur à delata à capite ad ipsum pe-  
 ctus euaporatione calidum nobis connatum: huiuscemodi enim ibidem contra-  
 ctio causa est segniciei ipsis sensibus: quæ detentione caloris circa pectus fit, quo-  
 usq; delata euaporatio, cum sit densa, ab occupata ab ipsa caliditate, quæ tota est ibidem simul  
 correpta, concocta fit, & attenuata disgregata fuerit: & hæc est naturalis causa somni, & eius  
 qui in hyeme, & eius, qui in æstate fit: sed hyeme quidem, eò quod à continente nos aëre fri-  
 gido existente infrigidetur superficies ipsa, non similiter connatum nobis calidum ad ipsam af-  
 fluit, & in ipsa diffunditur, sed est interius circa ipsum pectus, & cor amplius congregatum:  
 idcirco à delata euaporatione non similiter uincitur: & cum deuietum est, copia ipsa celeriter con-  
 coquit, & attenuat uaporem ipsum occupantem: idcirco nec faciles sunt hyeme somni, nec diu-  
 rurni: æstate uero propter superficiei raritatem, quæ fit à caliditate aëris continentis, cum con-  
 natum nobis calidum ad ipsam feratur amplius, & exhalet, minus est & circa pectus, & cor: id-  
 circo, cum à delata euaporatione uincatur, & occupetur facile, nec item possit similiter ipsum  
 disgregare, & attenuare ob paruitatem, cum ad longius tempus ab ipso uincatur, causa fit, ut



æstate nobis sint ampliores somni. Fortasse autem & noctium breuitas maiorem præbet appa-  
rentiam quòd uideamur æstate plus dormire, eò quòd ipsius diei aliquid occupemus. Fueritq;  
etiam ob impotentiam sensoriorum, quæ fit à continente nos æstatis caliditate copiosior, qui fit  
æstate somnus. cum enim ipsa sicciora fiant ab extrinseca caliditate, & ob hoc operari non pos-  
sunt, deferuntur in somnum: cum proprium & innatum ipsis calidum imbecille sit ad actionem:  
eò quòd uincatur ab extrinseco calido maiori existente: quod & lucernarum  
lumen à lumine ipsius diei pati uidemus.

*In quo prædicamento sit motus. Caput vigesimumprimum*



**M**O T V M, si quis non reciperet in quantis, eò quòd ipse in prædicamentis non  
poneretur inter quanta, diceretur utiq; esse ad aliquid: cuiusq; uero, cum sit  
motus, inesse esse ad aliquid, esset utiq; passio. si enim moueri est aliquid pati, pas-  
sionis autem præsentia patiens patitur, & quod mouetur motus præsentia moue-  
tur, motus utiq; passio esset: passio uero est qualitas: tertia enim qualitatis spe-  
cies passiuæ qualitates, & passionis: imperfectus igitur actus, cum sit passio, esset qualitas: per-  
fectus quoq; actus etiam sub aliquo esset prædicamento. Aut, si huiusmodi actus, & perfectio  
est forma: formarum uero illæ quidem sunt naturales, hæc uero artificiales: & sunt naturales  
quidem formæ substantiæ, artificiales uero qualitates: erit utiq; & actuum hæc differentia. sunt  
autem & ex naturalibus formis qualitates, quæcunq; non ad substantiam subiectorum confe-  
runt, sed ut talia sint. Quid igitur oportet dicere ipsum lumen esse: cum & ipsum sit actus  
perspicui quatenus est perspicuum. An si non natura perspicui forma ipsum lumen, neq; eius  
substantia aliqua fit: non enim simul est cum perspicuo, neq; est in substantia eius: sed ex præ-  
sentia alicuius in ipso fit, & propter habitudinem alius ad aliud: erit & ipsum passio quædam:  
quæ fit per habitudinem, & præsentiam alicuius in perspicuo, quod est colori proportionale,  
ut etiam Aristoteles dixit: uelut enim colorem dixit lumen ipsius perspicui.

*An, quod mouetur super aliquo, secundum priorem eius partem prius moueatur.*

*Caput vigesimumsecundum.*



**S**I Q V O D mouetur super aliqua magnitudine, secundum priorem eius  
particulam prius mouetur: propter hoc enim in tempore est omnis motus, quia  
non potest quod mouetur super toto subiecto totum simul motum iri, sed  
oportet illud quidem ipsius prius pertransire, hoc uero posterius: si itaq; hoc  
est, & secundum priorem partem magnitudinis primo mouetur quod mouetur,  
si in infinitum in magnitudine est ipsum prius, omne quod mouetur per infinita mouebitur, &  
omne motum quantouis spatio per infinita priora, & infinitas particulas motum erit: sed per-  
transiri non possunt infinita: aut igitur non in infinita est sectio continuorum, aut non secun-  
dum id, quod prius est, fit prius motus. An fit quidem secundum priorem partem magnitu-  
dinis prius ipse motus: ita tamen secundum priorem particulam, ut est in continuo, illa qui-  
dem particula prior, hæc uero posterior: non enim aliter quid est in illo, aliter uero id, quod mo-  
uetur pertransit assumens aliquid. Quomodo ergo est in continuo prior & posterior particu-  
la: nunquid actu. An nihil utiq; esset continuum, si essent partes eius diuisæ, & actu in toto,  
eò enim quòd indiuisibilis est magnitudo, (intelligentia enim diuisa erat,) hoc est continua.  
si enim esset actu diuisa, neq; ipsa utiq; esset aliqua una magnitudo, nec motus unus. si autem  
non sunt actu partiæ, quæ sunt in toto, relinquitur potentia ipsas esse in toto, & continuo: &  
prius itaq; & posterius erunt in continuo potentia, non actu: & etiam quod mouetur super ip-  
so sic secundum prius mouebitur, ut est etiam in magnitudine: potentia autem est in magnitu-  
dine: sic igitur & ipsum super ipsa mouebitur. hoc autem faciet, si, non ut diuidens ipsum, mo-  
ueatur, & actu faciens primum aliquid in ipsa, & secundum. si autem hoc modo mouetur, quan-  
do motum fuerit super magnitudine, ut habebat magnitudo priora in infinitum, sic & ipsum  
motum erit per ipsa: potentia autem habebat illa priora in infinitum, & hoc potentia in infini-  
tum priora pertransibit: quod non erat impossibile: non enim ponebatur quæ infinita poten-  
tia pertransiri non posse, sed quæ actu: diuidit autem & qui uult  
numerare priora, quæ pertransit ipsum mobile.

Alex. Aphro. Quæ.

C iii



*Cur, si corruptibilis est terra, non contingit ipsam & simul quandoq; corruptam iri.*

*Caput vigesimumtertium.*



**S**I CORRVPTIBILIS est terra, cur non contingit, & ipsam quandoq; simul quandoq; corruptam iri. si contingit hanc glebam corruptam iri secundum hoc iugum, & sic percurrentibus in quacuncq; parte terræ uerum est contingere ipsam corruptam iri, contingeret utiq; & uniuersam terram corruptam iri: si autem hoc, contingeret utiq; non esse terram, quod est impossibile: neq; enim esset mundus, si auferretur id, circa quod ei latio. An non sequitur ad id, quod est uniuersam terram corruptam iri, & id quod est simul: hoc enim est impossibile: si enim omnia per motum cœlestium ex aliquo in aliud quid mutatione fiunt, sic & ex alio quodam in terram. Et in hominibus quoq; eadem ratio est: non enim omnes corruptibiles, & simul omnes. qui autem ex inductione demonstrat, ex eò quòd unus, unumquencq; demonstratorum posse cras corruptum iri, & omnes simul contingere cras corruptos iri, non recte sumit: etenim sisumeret omnes, quos commemorauit, cras cunctos simul esse corrumpendos, non iam & omnes sumpsit, cum non omnes commemorarit. præterea neq; quos commemorauit, sic sumpsit, ut cuncti simul possint cras corrumpi: sed ut unus, unusquisq;: idcirco non concludet omnes compræhensim, sed omnes, ut quemuis ipsorum. ut in diuisione in infinitum, & omniuaq;: omniuaq; enim sectile est ipsum continuum, non quia simul omniuaq;, sed quia in quocuncq;. Fortasse autem neq; similiter terram necesse est esse, & hominem ipsum: sed terram quidem simpliciter necesse est esse, hominem uero ex suppositione: propter hoc enim non simpliciter necessaria est propositio dicens, hominem ex necessitate animal esse, sed cum determinatione illa quousq; fuerit homo.

*Expositio textus ex primo Physicæ auscultationis Aristotelis, in fine dicti, per quem dicit, inuentam materiam soluere etiam antiquorum dubitationes.*

*Caput uigesimumquartum.*



**D**IFFERANT demonstrationes duæ dictæ in primo Physicæ auscultationis in fine libri, per quas, cum dixisset & de materia, & priuatione, dicit inuentam hanc materiam soluere etiam antiquorum dubitationem, per quam auferbant generationem & corruptionem: eò quòd oporteat, quod fit aut ex ente, aut ex non ente fieri: sed nec ex ente posse, præexisteret enim quod fit, si quidem quod fit nondum est, quod autem ex ente fit ex eò quòd præcedit esse utiq; diceretur: neq; ex non ente esse, eò quòd nihil ex non ente fiat. Quas igitur dubitationis huius solutiones dixit, sunt. Illa quidem per id quod est per se & per accidens, aut ens aut non ens. Hæc uero per id, quòd est esse potentia & actu. sunt autem hæc. si quis materiam cum assumpserit, dicat, ex hac per se quidem existente, per accidens uero non existente fieri, quæ fiunt: & similiter ex hac rursus fieri, quæ fiunt, potentia quidem existente, actu uero non existente: per se quidem existente in sui natura, est enim ens quoddam ipsam materia: per accidens uero non existente, quia priuatio, quæ est per se non ens ipsi existenti accidit: non enim aliter ex materia possibile est aliquid factum iri, nisi accidat ei priuatio eius, quod est generandum: & potentia quidem existente, quoniam potentia est materia hoc quod fit: actu uero non existente, quoniam nondum est, quod fit, non enim fieret. Ipse etiam differant inter se: eò quòd, prima quidem ab eo, quod generationi subiicitur, & præexistit natura facta est: huiusmodi enim est materia sui natura, ex qua fit, existens quidem aliquid sui natura, non existens autem ex priuatione sibi accidente. Secunda uero ex habitudine ipsa, quæ est ad id, quod generatur: eò enim quòd possit fieri id, in quòd mutatur, nondum autem sit in hoc, generatur ex ipsa id, quod generatur: si enim esset iam in ipso, non utiq; generaretur: uel si non esset quidem, sed esset impossibile in ipsum mutari: nullum enim impossibile fit. eò igitur, quòd possit quidem in id, quod generatur, nondum autem in ipsum sit mutata, hoc, quod generatur, ex ipsa generatur. Inest autem ei posse quidem ex propria natura: est enim in hoc ei esse materiæ, nondum autem actu esse à priuatione. Potest etiam quis in prima solutione ea, quæ dicta sunt diuidere: ut hoc quidem ipsius



de priuatione dictum esse dicat, illud uero de materia: cum enim priuatio quidem sit per se non ens, per accidens uero ens, quia accidit ipsi materiae, quae est ens: materia uero per se quidem existat, per accidens uero non existat, quia priuatio ipsi, cum sit non ens accidit: soluentem antiquorum dubitationem posse dicere, & ex non ente simpliciter fieri, quae fiunt, & ex ente simpliciter: & seorsum quidem neutrum ipsorum sufficere ad alicuius generationem. neque enim non ens simpliciter, quoniam nihil ex sic non ente fit: neque ipsum ens per se, iam enim esset. utraque uero fieri generationis causas: sed non ens quidem, & priuationem non per se: alioqui ex hoc fieret, si permanens mutaretur in contrarium sibi: hoc autem impossibile: non enim possibile est permanere, & subiici alicui, quod sui natura non ens: neque contrarium alicui potest feruatum sui contrarium recipere: per accidens uero, quod generatur ex hac generatur, eò quòd ex quo fit, (fit autem ex materia) illi priuatio ex necessitate accidat: & hoc modo generatio quidem ex non ente per se: quatenus enim ens quodam modo, huiusmodi autem, quia enti accidit. Ex materia uero fieri quidem, quae fiunt, per se: cum enim sit ens secundum sui rationem, & permanet, & seruans sui ipsius naturam recipit eius, quod generatur, formam: ad quam mutationem priuatio ipsa eius, quod generatur confert, praexistens, & accidens ei: omnia enim, quae fiunt ex materia, generantur per mutationem ex priuatione, in quae generantur. idcirco neque ex priuatione, & non, ente per se est generatio: quatenus enim ens quodammodo, eò quòd materiae, quae est ens accidit: neque ex materia, & ente per se: siquidem, quatenus est priuatio, ipsius in formam mutatio.

*Quaedam conferentia ad ea, quae de providentia, Caput vigesimum quintum.*

**S**UBSTANTIARVM secundum Aristotelem quaedam est incorporea, & sine corpore forma quaedam immaterialis, & separabilis, actus quidam existens ab omni potestate seiunctus, quam substantiam, & intellectum uocat: intellectum autem secundum actum: semper enim intelligentem: & intelligentem id, quod est optimum inter entia: hoc autem ipse est. seipsum itaque hic intellectus intelligit. maxime enim intelligibile maxime intellectus intelligit: maxime uero intelligibile forma sine materia: sui enim natura est huiusmodi substantia intelligibilis: materiales enim formae intelligibiles quidem sunt, sed non sui natura, immo nec per se: sed intelligens ipsas intellectus ipsas facit intelligibiles, seiungens ipsas à materia intelligentia, & ut per se existentes accipiens: forma uero ab omni materia, & omni potestate seiuncta, sui natura est proprie intelligibilis: at qui huiusmodi substantia praedictus intellectus est: idcirco seipsum intelligit: etenim huiusmodi substantia, nihil habens potestate, semper actu est intelligibilis. est autem actu intelligibile, quod semper actu intelligitur: quod semper actu intelligitur id porro fuerit, quod intelligitur ab intellectu aeterno, & actu: tale uero erat praedicta substantia: prima substantia, primusque intellectus, & primum intelligibile, & intellectus semper intelligens, & in hoc essentiam habens. omnis enim intellectus, cum operatur, seipsum intelligit: eò quòd, cum operatur, fit quodam modo idem ei, quod intelligitur: siquidem apprehensione eius, quod intelligitur, fit ipsa intellectio. formam uero accipiens eius, quod intelligitur, fit quodammodo ipsum, quod intelligitur. dixi autem quodammodo: eò quòd in quibus quod intelligitur est materiale, in his non simpliciter intellectus intelligens fit ipsum, quod intelligitur: eò quòd non accipit formam cum materia. in quibus autem, quod intelligitur est forma à materia seiuncta, in his intellectus intelligens fit simpliciter idem ei, quod intelligitur. quando autem affuerit & ipsi intelligenti intellectui, & ipsum esse per se, tunc omniquaque fit seipsum intelligens. maximeque si huic, quod est esse & à materia separabile, & intelligibile per se, adfuerit nihil esse aliud praeter ipsum intellectum. nam in materialibus specie eadem, non numero fiunt, quae eadem forma communicarunt, à materia numeralem habentia differentiam. quaecumque uero eadem existentia formae immateriales sunt, haec non specie solum, sed etiam numero eadem sunt: unum enim numero sunt omnia, quemadmodum composita puncta, & lineae, & superficies. & huiusmodi quidem est: ut breuibus ostendamus: prima, & incorporea, & immobilis, & aeterna substantia: post illam uero diuinum corpus, circulo uersatile, animatum, & quod per animam mouetur. Et quoniam omne, quod per animam mouetur, desiderio alicuius, aut auersione mouetur: cum & corpus circulo uersatile per animam moueatur motu circulari, qui solus om-

num motuum æternus est, & continuus, & regularis: proculdubio & hoc alicuius desiderio mouebitur. uerum, si omnis corporea substantia posterior est corpore illo, nullius harum desiderio possibile est ipsum moueri. relinquatur igitur ut primum, æternam, immobilemque substantiam desiderans æterna circumlacione moueatur. est autem ei desiderium non apprehendendi ipsam, sed ut assimiletur ei in quantum potest. assimilatur autem ei per motum, æternitate, & similitudine, & regularitate motus: quieti enim assimilatur quodammodo circumlacione, quæ semper circa eadem, & eodem modo se habet. præterea & assimilatur perfecto, & quantum potest unumquodque eorum, quæ assimilantur, est ei perfectio: est autem perfectio corporis circulo uersatilis huiusmodi circumlacione. Cum autem sint plures sphaera Diuini corporis: prima quidem, & extrema simplici, & uno motu illius substantiæ desiderio mouetur, posteriores uero septem mouentur quidem, & harum unaquæque desiderio, & appetitu alicuius substantiæ, qualis, & quæ ante ipsas: non tamen hoc solo mouentur: sed ex se ipsis mouetur singula, quo mouetur, & circumfertur e contrario illi: eo quod positionem, & ordinem talem habeat. mouetur autem & secundo motu, cum à prima circumferatur eodem illi. Bini autem his causa motus: quia oportet quidem esse aliquod aliud corpus, præter æternum, & diuinum, quod est generabile & corruptibile: quoniam ad æternam ipsis circumlacionem confert etiam huiusmodi corpus. non potest autem huiusmodi corpus specie æternum manere, nisi illorum uariis motibus gubernetur. Cum autem hæc hoc modo se habeant, si quis uelit dicere prouideri omne id, quod propter aliquid, & ab aliquo, quouismodo mutationem habet, & motum: fuerit utique omnis corporea substantia, & æterna, & generabilis & corruptibilis à prima substantia æterna, immobili, & incorporea prospecta. Si quis autem hæc sola prouideri diceret, quorum gratia, quod ipsis dicitur prouidere, actu quibusdam actionibus mouetur, solum subluare corpus secundum Aristotelem prouisum esset. hoc autem est materiale, & generabile & corruptibile: quoniam gratia ordinatæ huius mutationis, & permanentiæ secundum speciem æternæ ponuntur moueri corporis circulo uersatilis post primam, quæ & firmamentum uocatur, septem sphaera motu secundo. cum enim indigerent generabilia & corruptibilia uario motu, non poterant eodem modo se habentia diuina omnia, simul quidem generationis, simul quoque & corruptionis ordinatæ causa inferioribus fieri: ob quas generationes & corruptiones, cum ita fiant, manent & hæc æterna secundum speciem, manente quodam & in illis uario motu.

*Quomodo forma in materia, per se ne, an per accidens.*

*Caput vigesimum extum.*

**Q**UOMODO forma in materia, per se ne, an per accidens? Si quidem dicat aliquis in materia generari formam per se, erit in substantia materiæ forma per se, si quod per se inest alicui est in substantia eius: sed si hoc, corrumpetur utique materia, cum corrumpitur forma. uel & in substantia materiæ est ipsa forma: non enim possibile est materiam esse sine propria forma. sed corrupta forma, aut seiuncta, non est possibile amplius illam materiam esse, cuius illa erat forma, sed simul est: quapropter, ut sit materia confert ei præsentia formæ. per se igitur inest forma materiæ, ut quod in substantia eius est, quemadmodum & animali homo, & omni quod in substantia ipsius est, quod per se ipsi inest. Præterea non erit in sui natura habens formarum receptiuum, sed ipsas formas. Amplius sanè singula materia omnes simul habebit formas, quod est impossibile: est enim contrarietas in formis materialibus, ut in elementis uidemus: ex quo manifestum est, quod non omnes in eadem. Amplius si omnes eadem haberet, non esset secundum generationem mutatio: si autem alia aliam, incorruptibilis esset unaquæque res materialis: si autem corruptibilis esset, & materia una corrumpetur: ostensa est autem esse æterna. Sed neque, ut accidentia materiæ, sunt formæ in ipsa: erunt enim in subiecto ipsa: & aut substantia existentia accidentia erunt, quod est absurdum: aut si accidentia fuerint, & de natura accidentium, erit substantia composita ex materia, & accidente: sic autem non erit composita substantia simpliciter substantia, sed quemadmodum unumquodque eorum, quæ fiunt secundum artem. Amplius si quidem materia posset esse sine forma, posset utique in subiecto ipsa esse ipsa forma: si autem ipsa subsistit cum forma, & est in subiecto ipsa, quæ fit forma, utpote, quæ est simul cum forma, & subsistit, & iam est in corpore: aut





pore : aut erit in illo corpore habente formam , ex quo materia in hoc mutatur , quod est impos-  
 sibile : quomodo enim possibile in eo , quod corrumpitur per mutationem in hoc , dicere esse  
 hanc , quam non est possibile , si illud seruetur , fieri in ipsa : aut in habente hanc formam , in quam  
 est mutata : sed neq; hoc est possibile , cum hoc quidem corpus ex materia , & hac forma esse ha-  
 beat : nihil autem ipsum sibi ipsi accidit : & id est in subiecto , quod non ut pars est in illo , in quo  
 est : forma uero pars est huius subiecti . Nunquid igitur sic est accidens in materia forma , &  
 in subiecto ita per se , ut dicuntur per se inesse alicui , quæ in substantia ipsius sunt . Sed quia est  
 & alius modus ipsius per se , de quo & Aristoteles , & Theophrastus in Posterioribus resolutio-  
 nis meminerunt : hic autem est secundum quem dicebatur per se inesse alicui , cuius in defini-  
 tione id , cui inest , assumitur : quo modo per se impar numerus , & par insunt numero : utrunq;  
 enim ipsorum definiens numero utimur in definitione ipsorum dicentes , imparem numerum  
 eum , qui in inæqualia diuiditur , parem uero numerum , qui in æqualia diuiditur : uidetur  
 enim , & in ratione materialis formæ materia assumi , in qua est : cuiuslibet enim rei materiali secun-  
 dum formam est ratio : nam secundum hanc ipsi est quod quid erat esse . atqui & de ipsa mate-  
 ria necesse est meminisse : etenim carnis , & ovis , quin & manus , & faciei rationes huiusmodi  
 animam quoq; definiens , quæ est forma materialis , in eius definitione , & id , cuius est , assumi-  
 mus : hoc enim significatur à corpore physico , organico . & quemadmodum in numeris non om-  
 nis numerus est impar , nec omnis numerus est par : omnis tamen par numerus , & omnis im-  
 par similiter numerus : sic quoq; & in forma , & materia : non omnis quidem materia est cum hac  
 sine forma : omnis tamen materialis forma est in materia . & quemadmodum in illis

non aboletur numerus , nisi in mutatione in par , aut impar : par uero

& impar in ipso successiue corrumpuntur mutatione in ipsas

species , siquidem species successiue corrumpun-

tur : sic & materia non aboletur in mu-

tatione in formas , formæ ta-

men successiue

corrumpuntur ex materiæ in ipsas

mutatione .

Alex. Aphro. Quæ.

D

Sequi ad eos, qui & magnitudinem, & tempus ex indiuisibilibus componunt, omnia, quæ mouentur per indiuisibile, æque uelociter moueri.	Caput primum.
Expositio textus in primo de Anima Aristotelis, dicti ad interemptionem huius, quod anima sit per se mobilis. est autem textus hic.	Caput secundum.
Quanam sit à motu Diuini corporis ingenita uis uicino ipsi corruptibili, & generabili corpori.	Caput tertium.
Quod si hoc in nobis, cuius oppositum in nobis, neq; ipsum in nobis, neq; quod in nobis, in nobis erit.	Caput quartum.
De hoc, quod & id, quod in nobis, fato est.	Caput quintum.
Quo pacto erit immobile secundum Aristotelem primum mouens: siquidem, ut ipse dicit, singulum eorum, quorum est opus, gratia operis est: Dei autem operatio est immortalitas: hæc autem est uita sempiterna: quare necesse est Deo inesse æternum motum.	Caput sextum.
Quid erit materia, si à priuatione quidem habet quod sit non qualis, & non figurata, à forma uero, quod qualificetur, & figuretur.	Caput septimum.
Quo pacto non definiuit idem per idem, qui Animam definiuit actum corporis, phisici, organici, potentia uitam habentis.	Caput octauum.
Quomodo anima non sit ad aliquid, si actus est talis corporis.	Caput nonum.
Quod anima non est seipsa mobilis.	Caput decimum.
Quamobrem, quod generatur, cum ex priuatione mutatur, simul ex suo contrario mutatur, si non sunt idem priuatio, & contrarium.	Caput undecimum.
Per id, quod corpora in seipsa contrahantur, non monstrari corpus per corpus permeare.	Caput duodecimum.
Aduersus Platonicos, qui ex triangulis figuras, & formas corporum dicunt componi, non ipsa corpora.	Caput decimumtertium.
Si communia sunt notiones, notiones uero non sunt corpora, neq; ipsum commune erit corpus, etiam si sit ratio communis corporis: nec definitio est corporis definitio.	Caput decimumquartum.
Quo pacto dicimus eandem potentiam simul esse contrariorum.	Caput decimumquintum.
Quo pacto non eodem modo, ac artes coniecturales, etiam aliæ artes finem habebunt, omnia scilicet, quæ apud ipsas, facere, ut propositum assequantur.	Caput decimumsextum.
Quod, non, si est illo, qui est, ut $\nu\tau\epsilon\tau\tau\alpha\sigma\mu\alpha$ , id est succensus fomes, qui & elementum est, calidior aliquis ignis alius, propter hoc mixture contrarij tale illud.	Caput decimumseptimum.
De hoc, quod natura sit principium motus.	Caput decimumoctauum.
Quod si mundus est æternus, esse uero ipsi mundo ordo est, erit & hoc in sui propria substantia:	Caput decimumnonum.
Quo pacto quod mutatur in aliquid per potentiam, quam habet, seruat potentiam, & postquam mutatum fuerit in quod mutatur.	Caput uigesimum.
Non esse per accidens prouidentiam secundum Aristotelem.	Caput uigesimumprimum.
Expositio textus ex secundo de Generatione, & Corruptione Aristotelis diuersa ab ea, quæ in commentario in illum. est uero textus hic.	Caput uigesimumsecundum.
De Lapide Herculeo, propter quid trahit ferrum.	Caput uigesimumtertium.
Expositio textus ex secundo de Anima Aristotelis dicti paulopost principium.	Caput uigesimumquartum.
Expositio alius textus ex secundo de Anima Aristotelis.	Caput uigesimumquintum.
Alius ex eisdem textus.	
Alius ex eodem textus.	
Materiam non esse genus.	Caput uigesimumsextum.



ALEXANDRI APHRODISIENSIS,  
 NATURALIVM ANNOTATIONVM,  
 DIFFICVLTATVM, ET SOLVTIONVM,  
 LIBER SECVNDVS.  
 SEQVI AD EOS, QVI ET MAGNITVDINEM,

*et tempus ex indiuisibilibus componunt, omnia, quæ mouentur  
 per indiuisibile, æque uelociter moueri.*

CAPVT PRIMVM.



**EQVITVR** ad compositionem & magnitudinis, & tem-  
 poris ex indiuisibilibus, dicere omnia, quæ mouentur per indiuisi-  
 bile æque uelociter moueri. Si enim per indiuisibile moueantur,  
 illud quidem citius, hoc uero tardius, si quod celeriter mouetur in  
 indiuisibili tempore motum est per ipsum, tardius in pluri necesse  
 est moueri per ipsum, & diuisibili: si autem in tempore diuisibili,  
 diuisibilis erit & magnitudo, in qua est motus. Si enim quis dice-  
 ret, quod tarde mouetur non moueri per impartibile, neq; in im-  
 partibili tempore, hic diceret ipsum tardum non omnino moueri:  
 si quidem hoc aliquid, aut magnitudo constat ex impartibilibus, &

uniuersum tempus: non potest autem moueri tardum per nullum impartibile: idcirco æque ue-  
 lociter utiq; mouebuntur omnia, quæ per impartibile mouentur. si autem per impartibile æque  
 uelociter, etiam per uniuersam magnitudinem æquæ uelociter mouebuntur: siquidem omni-  
 bus magnitudinibus est ex indiuisibilibus compositio: tenue enim per indiuisibile quidem,  
 omne similiter, & æque uelociter moueri, tardius autem uideri aliud alio moueri propter re-  
 percussiones atomorum, quæ sunt in ipso, progredi nequiens, commentitium est & hoc. Præ-  
 terea quomodo non apparent quæ sic mouentur, si motus ipsis fit tardus idem, sed extensio  
 ipsa impedit continue moueri. Præterea & uel multiplicata quod uelocius citius: erit enim &  
 hoc pacto quod mouetur tarde pluri tempore stans quàm motum: si enim quod uelocius mo-  
 uetur, hora quidem una pertransiuerit spacium, hoc uero ipsum, quod tarde horis quinq;, opor-  
 tebit ipsum una quidem moueri, quatuor uero stare. absurdum est autem id, quod multo plu-  
 ri tempore stat, stans quidem, non apparere, quod uero mouetur  
 quinq; horis, & hoc æqualiter.

*Expositio textus in primo de Anima Aristotelis, dicti ad interemptiorem huius, quod  
 anima sit per se mobilis. est autem textus hic. Caput secundum.*



**TVERO** & si mouet ipsa seipsam, mouebitur utiq; & ipsa. quare si om-  
 nis motus est exitus eius, quod mouetur, quatenus mouetur, anima quoq; exi-  
 bit utiq; ex substantia, nisi per accidens seipsam moueat: sed est motus substan-  
 tiæ ipsius per seipsam. Anima, inquit, si seipsam mouet, aut per aliud quidem  
 aliquid mouet, per aliud uero aliquid mouetur: & hoc pacto erit per se mobilis,  
 ut & animal per se mobile dicimus. nam eò quod hoc quidem eius mouet, illud uero mouetur,  
 ipsum totum per se mobile dicimus: mouet enim quod est in eo anima ipsa, mouetur, autem  
 corpus: & neq; anima, quia mouet, mouetur, neq; corpus, quia mouetur, mouet: mouetur  
 enim: & animæ igitur potentiarum, si sic sit mota, hæc quidem est mouens, illa uero mota: cum  
 neq; quæ mouet, quatenus mouet, moueatur, neq; quæ mouetur, quatenus mouetur, mo-  
 ueat. erit igitur hoc modo primum mouens immobile etiam in anima. si enim rursus mouens  
 potentia moueri dicatur, aut à seipsa, aut ab alia mouebitur: si quidem ab alia, in infinitum abi-  
 bit, aut erit aliquid primum, mouens quidem, sed immobile: si autem à seipsa, sic erit utiq;

per se mobilis, ut, quatenus mouet, moueatur. melius est igitur ipsam animam sic dicere per se mobilem. sed si anima sic per se mobilis dicatur, ut, quatenus mouet, secundum hoc etiam moueatur, si quatenus anima mouet, quatenus anima etiam mouebitur. si enim per aliud quidem moueatur, ut uerbi gratia secundum locum, non per idem mouebit, & mouebitur: nam quatenus anima mouens erit, non quatenus anima mouebitur, siquidem secundum locum, non enim in loco anima ipsa. sic autem per aliud quidem erit mouens, per aliud uero mouebitur: non sic autem dicebatur à seipsa moueri: quatenus igitur anima mouebitur. sed si omne, quod mouetur secundum aliquid, & mutatur, exit ab illo, quatenus mouetur: quod quidem secundum locum à loco, quod autem secundum passionem à passione, & quod secundum magnitudinem à magnitudine: & quod secundum animam mouetur, exit ab eo, quod in hoc: quare & anima, si, quatenus anima est, mouetur semper à seipsa, & non per accidens, exhibit à substantia, in qua est, & ab anima, per quam est ei esse.

*Quæ nam à motu Diuini corporis ingenita uis uicino ipsi corruptibili, & generabili corpori* Caput tertium.



**Q**UÆ nam à motu Diuini corporis uicino sibi corruptibili, & generabili corpori ingenita uis: nunquid alia quædam est hæc natura præter propriam cuiusque naturalium corporum, quam principium motus, & quietis dicimus in eo, in quo est, primo, per se, & non secundum accidens: etenim, si in uicino sibi fit corpore, iam erit hoc habens propriam naturam, actuque existens corpus: omne enim corpus actu mortale, simplex ens aliquod est, aut ex his compositum, & mistum: horum autem singulum propriam habet aliquam naturam. An etiam per illam est actu huiusmodi: & hoc pacto erit primum participans ignis ipse tali ex diuino corpore potentia: deinde posterioribus ipsam distribuens: ita ut omnia corpora tali distributione ipsa participant, illa quidem plus, hæc uero minus. Sed si hoc est, quæsiuerit utique quis quid confert unicuique corpori huiusmodi uis, & natura. nam per primam naturam, quæ ipsa fit in unoquoque, per quam illud quidem est ignis, hoc uero aer, illud aqua, hoc terra, fit eis motus in propria loca, quo singulum ipsorum propriam perfectionem assequitur: & hoc similiter, si in corporibus fiat compositis, & in illis, non ut sit homo, aut animal, aut planta singulum ipsorum: ipsis enim iam existentibus utique ingeneretur, quemadmodum igni, & singulis simplicium. sic autem non amplius potentia illa causa fieret, ut hæc quidem animata sint corporum, illa uero inanimata, & animatorum, illa quidem altricem solam animam haberent, hæc uero & sensitiuam, quædam uero præter has & rationalem: hæc autem ponebatur causam habere differentie, quæ est inter has: per hanc enim uim ponebatur prouidentia faciens hominem animal rationale mortale: & propter hoc dicebatur, omnia, quæcunque per rationem, & intellectum homini inesse possunt, habere ipsum à diuina prouidentia. An oportet dicere, simplicibus quidem corporibus præexistentibus potentiam hanc ingigni, & post accedere: propter quam causam nihil in seipsis quodammodo illa diuinum habent, (tale enim est anima ipsa) cuius expertia omnino: quia non est in ipsorum substantia huiusmodi uis ab extrinseco eis, & præexistentibus post accedens, sed sunt simpliciter corpora. quæcunque uero ex horum naturali mixture, & temperamento fiunt: & in horum generatione disseminatam & Diuinam potentiam, & naturam meliora, & perfectiora facere hæc corpora: cum & simplicia corpora simul inferant ad generationem eorum, quæ fiunt ex ipsis, corporum etiam Diuinam potentiam, qua participant ex uicinitate: ob quam potentiam non item habent hæc principium solum in seipsis motus, ad quem inclinantur, sed quoddam quoque animalisticum principium assumpserunt: quod & generationem habet à Diuina potentia: quæ natura, & anima per quantitatem simplicium corporum, ex quibus est habens ipsa in corpus quorum, illud quidem magis communicat diuina potentia, quia propinquius est Diuino corpori, & est subtiliorum partium, & purius, hoc uero minus propter maiorem distantiam, & constitutionis crassitiam, diuersa & ipsa fit. quæcunque enim compositorum corporum plurimum terræ habent, simile cum terra communicant animalistica potentia quadam: eò quod & corpus, plurima eius substantie pars, minus Diuina potentia participet: quæcunque uero copiosiore in seipsis habent igneam, & calidam substantiam, hac perfectiore anima participant: eò quod superabundans in eis corpus plus participet Diuina potentia. Hoc autem pacto secun-



da natura, quam diximus esse Diuinam potentiam ingenitam subluna corporibus, ob uicinitatem ad illam, corporibus simpliciter naturalibus utetur, ut materia, ad perfectiorum, & animatorum corporum generationem. quæ igitur per temperiem simplicium corporum, & alterationem fiunt composita corpora, eò quòd habeant huiusmodi potentiam in mistione corporum ipsam habentium concretam quodammodo, & mistam, perfectiora fiunt corpora, quæ & diuiniore natura, atq; principio communicauerint. quæcunq; uero compositione, & appositione simplicium corporum fieri uidentur composita corpora, hæc non amplius, quia tali communi potentia & natura, possunt, ut singulum simplicium corporum actu, ipsius naturam seruare in huiusmodi mistione, & compositione: non enim ad hoc modo compositorum substantiam Diuina potentia confert, manens in singulo ipsorum, qualis & ante ipsorum compositionem. cuius mutæ pariter, ac simplicium corporum generationis potest quis dicere à Diuinis potentiam causam esse, cum ipsa fiat ipsorum forma, & natura. materia enim sui ratione qualitibus carens, infigurataq; existens, à potentia, quæ à Diuinis corporibus fit, sine actu corpus est, & fit: formaturq; & figuratur, ut quod quidem ipsius accedit ad Diuinum corpus, & uicinum illi, plus Diuina potentia participans, formetur caliditate, & siccitate: hæc enim sunt primæ ab illis in corpora mortalia passiones: quod autem plus distat à causis huius mutationis, & generationis ipsorum corporum, aut horum omnino contrariis formari, aut illud quidem aliquam horum, hoc uero aliquam his contrariam formam, atq; passionem summere, secundum illorum alibi uariam ad hæc habitudinem, propter motum in huiusmodi circulo diuersimode formatum. talis enim est zodiaci situs: in quo mota sol, & luna, & alia astra, quæ errare dicuntur, huic quidem parti materiæ, cui magis, uel propinquius accedit, unicuiq; caliditatis, & siccitatis fit causa, in quibus est esse igni: illi autem caliditatis humiditatisq;, quæ est æris natura: alio uero humiditatis, & frigiditatis, quæ est aquæ natura: alio quoq; eius, quæ superest ex duabus primis simplicibus contrarietatibus, quæ sunt frigiditas, & siccitas, quæ terræ naturam constituunt: & huiusmodi quidem sunt à Diuina potentia formæ in materia, simplices, & primæ formæ: quæ factæ sunt causæ substantiæ corporum simplicium, & naturæ. quæ uero ex horum mistione, & temperamento fiunt, tanquam pluribus communicantia potentiis, & diuersis corporibus, & composita iam fiunt, & perfectiora: & perfectio in eis, & forma diuersa fit, etiam secundum eam, quæ dicta est in primis, quæ est in mistione corporum, differentiam. sunt enim ipsorum, illa quidem tenuiora, & magis actiua: huiusmodi enim sunt, quæcunq; propinquius sita sunt motui Diuinorum: hæc uero crassiora, & passibilia, quæcunq; plus distant ab illorum latone: horum enim est perfectior forma, quæcunq; in mistione, & temperamento plus habent subtiliorum partium, & puriorum corporum: quæcunq; uero huiusce corporis minus habent in seipsis, sed plus habent passibilis, & crassioris, horum est & forma imperfectior.

*Quod, si hoc in nobis, cuius oppositum in nobis, neq; ipsum in nobis, neq; quod in nobis, in nobis erit. Caput quartum.*



**I** I N nobis est hoc, cuius oppositum in nobis, illud, cuius oppositum non in nobis, non in nobis: ipsius uero in nobis oppositum non in nobis: nam ei quod in nobis id, quod non in nobis oppositum: igitur neq; quod in nobis in nobis: si autem quod in nobis non in nobis: nihil est in nobis: secundum quos ergo in nobis est id, cuius & oppositum in nobis, iuxta hos nihil est in nobis. An falsum ipsum, si non in nobis, illud esse in nobis, nihil est in nobis: nam esse aliquid in nobis, quod est in natura nostrum, & substantia, non in nobis est, ut nec esse rationales: res tamen, quibus utimur secundum id, quod in nobis, hæc in nobis: harum enim & oppositum in nobis. ipsum enim esse in nobis aliquid, non in nobis: deambulare uero in nobis, quia & non deambulare. etenim proprium oppositum eius, quod in nobis, non in nobis propter hoc: id uero, quod in nobis, in nobis proculdubio. ut igitur opposita in nobis, hæc, & ipsa in nobis, quia non est quod in nobis in agibilibus: non est autem agibile esse aliquid quod in nobis in his, quæ consultatione indigent, & possunt etiam aliter se habere: cum igitur esse aliquid in nobis non sit in his, merito potentia quidem, qua est in nobis, non in nobis: sed illa, ad quæ utimur potentia eius, quod est esse aliquid in nobis, in nobis: quemadmodum & usus quidem rationis in nobis, non autem in nobis ipsius usus potentia.

## De hoc, quod est id, quod in nobis, fato est. Caput quintum.



**L** P S I in nobis aliquid esse opponitur illud, nihil esse in nobis impossibile: ipsi igitur, in nobis aliquid esse oppositum impossibile: atqui, cui oppositum impossibile, hoc facto: siquidem hæc fato fiunt, quibus opposita est impossibile, aut esse, aut facta iri: igitur in nobis aliquid esse fato est: in nobis uero aliquid esse fato statueret utiq; in nobis aliquid esse secundum substantiam: omnia fato fieri dicentibus. An non est uerum, id, cuius oppositum est ipsum impossibile, hoc esse fato: si enim esset idem id, quod ex necessitate, ei, quod fato, esset utiq; quemadmodum eius, quod ex necessitate definitio, id, cui oppositum impossibile, ita & eius, quod fato. sed est in plus id quod est ex necessitate eo, quod fato: non enim omne, quod ex necessitate est, fato est: quatuor quippe bis duo sunt ex necessitate, non tamen fato: siquidem in his, quæ fiunt, est ipsum fatum: quare non erit definitio eius, quod fato, oratio dicens, cuius oppositum impossibile: sed inerit quidem & hoc his, quæ fato, cum & ipsa sint necessaria, non tamen ut æqualiter in ipsis sit: si uero non æqualiter non conuertetur. non oportet igitur omnino, cui oppositum est impossibile, hoc esse fato: sed necessarium est hoc, cuius est definitio prædicta oratio. ipsum itaq; quod est in nobis necessarium quidem: quia omne, quod est in substantia alicuius necessario ei inest, non tamen fato: quibus enim, cum secundum fatum causarum fiunt, oppositum est impossibile, hæc fato erunt.

Quo pacto erit immobile secundum Aristotelem primum mouens: siquidem, ut ipse dicit, singulum eorum, quorum est opus, gratia operis est: Dei autem operatio est immortalitas: hæc autem est uita sempiterna: quare necesse est Deo inesse æternum motum. Caput sextum.



**Q** U O pacto est immobile secundum Aristotelem primum mouens: si, ut ipse dicit, unumquodq; quorum est opus, gratia operis est: Dei autem operatio est immortalitas: hoc autem est uita sempiterna: quare necesse est Deo inesse æternum motum, An non est id ex eorum numero, quorum est aliquod opus: siquidem opus dicit actionem, quæ est ut finis: huic uero nullus est finis: substantia enim est eius actio: sed non quod sit aliud quid, postea actio. est autem hoc manifestum per id quod subiunxit, quod est. quoniam autem cælum huiusmodi: corpus ergo Diuinum: illud enim non est huiusmodi.

Quid erit materia, si a priuatione quidem habet quod sit non qualis, et non figurata, a forma uero, quod qualificetur, et figuretur. Caput septimum,



**M** A T E R I A, quæ a priuatione habet quod sit non qualis, & non figurata, a forma uero quod qualificetur, & figuretur, sui ratione quid erit? non enim ex his negationibus est natura materiæ: nam sui natura, neq; non qualis, neq; qualis: ut homo sui ratione, nec immusicus est, nec musicus: quoduis enim horum haberet in propria ratione, non posset in altero factus iri. Sic igitur & materiæ erit esse materiam, non in eo, quod sit qualis, sed in eo, quod habeat aptitudinem, & potentiam, qua est qualitatatum receptiua: non quale uero ei accidit, cum non sit eius substantiæ completium: quemadmodum & omni receptiuo alicuius non esse hoc, cuius est receptiuum. Cum autem sit in confinio hoc, erit & incorruptibilis: cui enim est esse in potentia recipiendi aliqua successiue, hoc neq; eò quod non sit in aliquo ipsorum, neq; eò quod sit, exit a propria substantia: non enim amittit ipsum posse, in quouis horum fuerit, cuius habet potentiam: non enim quoduis hoc posset. An si est aliqua negatio in materia, quoniam materia sui natura non est qualis: ipsum autem quoduis non quale est in materia receptiua existente qualitatatis: erit ipsa materia qualitatibus carens sui natura. An non est idem dicere in ipsa, non est qualis sui natura, & est non qualis sui natura: nam hoc, est non qualis sui natura, cum sit affirmatio, quæ ex transpositione dicitur, æquiualeat priuationi: illud uero, non est qualis sui natura, negatio est: quæ non amplius æquiualeat priuationi, quod de materia uerum est. aptitudo enim, quæ est ad aliquid, media est illius, & priuationis eius: & si quàm maxime illud, in quo est aptitudo im-



possibile est esse sine altero. non est enim idem aptitudo priuationi: nam illa quidem permanet, ut prius dictum est, priuatio uero corrumpitur: idcirco hoc quidem non esse qualem in eius natura, non item & esse non qualem. Aristoteles in primo Priorum resolutiorum de prædictis ita dicit. Differt autem aliquid in construendo, uel destruendo, opinari aut idem, aut diuersum significare non esse hoc, & esse non hoc, ut non esse album, ei, quod est esse non album: non al enim idem significant: neque est negatio eius, quod est esse album, esse non album, sed non esse album. Est autem dicere, quod & si quam uerum maxime sit de materia sui natura ipsam esse non qualem, non tamen est hoc in eius substantia, sed accidit ei: quemadmodum aliquando & qualitatem habere: ut & homini immusicum, & musicum. cæra quoque non figurata existens sui natura, si figuretur, non corrumpitur, quia manet hoc ipsi cæra esse.

*Quo pacto non definiuit idem per idem, qui animam definiuit actum corporis, physici, organici, potentia uitam habentis. Caput octauum.*



**S**I P O T E N T I A uitam habens significat quod potest uiuere: quod autem potest uiuere est quod potest animam habere: quomodo non idem per idem definiuit, qui animam definiuit actum corporis physici organici potentia uitam habentis? An non est usus in animæ definitione potentia uitam habente: sed cum prius accepisset illud, potentia uitam habentis, posterius, quando reliquam definitionem assignat, permutauit ipsum organicum in inuentionem, & sumptionem organici, utens potentia uitam habente. organicum autem est, quod habet particulas, quæ diuersis operationibus possunt subseruire: cui æquale sumpsit & illud potentia uitam habens. Præterea, cum dixisset ipsam animam actum corporis potentis uitam habere, non fecit per ipsum assignationem: corporis enim naturam, in quo est anima, qualis est declarauit, non enim animam declarauit, neque per ipsam animam definiuit. Præterea non est idem anima, & uita: sed quod est operatum uita est, cum per ipsum sit nutrimentum, & augmentum: quod autem potentia uitam habet, dicitur utique organicum, cum per ipsum habet potentiam, ut nutriri possit, & augeri, quod æquale non est ei, quod est animam habere.

*Quomodo anima non sit ad aliquid, si actus est talis corporis. Caput nonum.*



**Q**U O M O D O non est anima ad aliquid, cum sit actus corporis huiuscemodi? An actus quidem æque ualet ac forma: forma uero non est ad aliquid, & si quam maxime alicuius est. non enim si aliquid alicuius est, mox & hoc est ad aliquid: etenim superficies, cum alicuius sit, non est ad aliquid. sed & partes secundarum substantiarum alicuius quidem sunt, non tamen sunt ad aliquid: ad aliquid enim sunt, quibus est esse idem, quod ad aliquid quodammodo se habere. anima autem corporis quidem huiuscemodi est actus, non tamen esse est in hoc quod ipsa ad aliquid se habeat: cum enim sit aliud ipsius corporis est: quemadmodum & caput, cum sit aliquid, capitati est caput: simile enim, quatenus simile, & æquale, quatenus æquale, in habitudine habent esse ad ea, ad quæ dicuntur: & nihil aliud præter habitudinem ad id, ad quod dicuntur significant: anima uero, & caput propriam quandam naturam, & substantiam significant, cui accidit aliud esse: sed non, si aliquid est aliud, iam & ad aliquid est.

*Quod anima non est se ipsa mobilis. Caput decimum.*



**A**N I M A est, per quod animal est animal: per quod enim sibi inexistens. animal à non animali differt, per hoc est animal: per animam autem sibi in-existentem differt animal à non animali: per animam itaque animal est animal: per quod autem animal animal est, hoc est eius forma: omne enim, secundum quod dicitur, & est hoc aliquid, est forma: etenim eorum, quæ per artem fiunt singulum, & eorum, quæ natura, per formam est hoc, quod est: & animal itaque, quatenus animal, est per ipsam formam: erat autem per animam ipsam animal: anima itaque est forma: atqui forma, quæ est alicuius, materialis forma est: anima autem alicuius forma est, animalis enim: anima igitur, cum sit forma materialis, impossibile est ipsam esse per se: quod enim indiget materia ad esse, cum huius existat aliquid, impossibile est hoc ab ipsa seiunctum ipsum per se esse: anima autem est

forma materialis : animam igitur impossibile est esse ipsam per se aliquando : quodcumq; uero impossibile est ipsum per se esse, impossibile est & per se moueri : animam autem impossibile est esse aliquid per se: igitur impossibile est ipsam per se moueri: quod autem non est per se mobile, non potest esse seipso mobile : anima autem per seipsam non mouetur: igitur anima non est seipso mobilis.

*Quamobrem quod generatur, cum ex priuatione mutatur, simul ex suo contrario mutatur, si non sunt idem priuatio, & contrarium. Caput vndecimum.*

**Q**VAMOBREM quod generatur, cum ex priuatione mutatur, simul ex suo contrario mutatur, si non sunt idem priuatio, & contrarium? contrarium enim quaedam forma, priuatio uero huius absentia, cuius secundum sui naturam subiectum est receptiuum. Vtrum igitur huius causa est ipsa materia, quæ substantiarum omnium generabilium, & corruptibilium communis existens, & subiecta eis, potentia omnia est, eò quòd in singulum ipsorum possit mutari: propter hoc enim dicitur quidem omnia potentia: nullum tamen horum, quæ ex ipsa generantur, & in quæ mutantur, in propria ratione, & in propria substantia habet: sed est ab omnibus ipsis ratione separabilis: subsistentia tamen & existentia inseparabilis est ab eis, cum semper aliquod ipsorum actu habent, & quia semper alicui horum coniuncta est, & actu est, atq; existit. neq; enim formarum aliqua, quarum est materia receptiua, absq; materia possibile est existere: neq; materiam sine aliqua forma: sed sunt à se inuicem inseparabilia quo ad existentiam. cum ergo sit cum aliqua formarum, quarum est receptiua: formis, in quibus non est, tunc priuari dicitur, eò quòd, cum habeat potentiam ut mutetur in illas, non est in eis: idcirco etiam, cum in aliquam mutetur, ex propria illius, in quam mutatur, priuatione mutari dicitur: eò quòd, per potentiam ad hanc, in hanc ipsa mutetur. erat autem ei potentia ad hanc per eius priuationem: neq; enim, si esset ei præsens, priuata esset ipsa: neq; si non haberet aptitudinem ad ipsam. ob id igitur, quòd non secundum aliam quandam potentiam quàm illam, quæ est ad hanc, mutatur ipsa in hanc, ob hoc singulum eorum, quæ generantur, ex propria priuatione dicitur generari per mutationem eius, quod subiicitur huius priuationi. idcirco & priuatio per accidens cuiusq; generabilium, ut elementum, principium: eò quòd, quæ mutantur in ipsum, materia, & elementum fit eius proprie: quia præexistit in ea eius priuatio, ob hoc secundum hoc in ipsam mutatur: propter hoc ex non calido fit calidum, non ex dulci: quia hoc, ex non calido, declaratiuum est calidi in priuatione existentis, & quod secundum priuationem hanc mutatur: non enim per potentiam ad dulcedinem in calidum mutatio, neq; secundum huius priuationem, & ob hoc quidem ex priuatione. ex contrario autem dicitur generari, quia materia formatur contrariis, & est horum successiue receptiua. Primorum igitur, quæ ex ipsa corporum generantur duæ sunt formæ, primæ scilicet contrarietatum, caliditatis & frigiditatis, & humiditatis & siccitatis: & his terminantur simplicia corpora. Quoniam ergo horum est receptiua: & si est cum aliquo, aut quibusdam horum, necesse est ipsam, quando aliquod horum non habuerit, sed in priuatione ipsorum fuerit, esse cum altero contrariorum: in contrariis ipsorum generibus existens, erit necessario in horum priuatione. nam, quatenus est in contrario calidi, est in eius priuatione: & quousq; in illo fuerit, manet etiam in priuatione. ob id igitur, quòd præsentia contrarii coniuncta fit priuatio contrarii, & necessario: & quando ex priuatione eius ad habitum mutetur secundum illud, quod, præsens erat causa subiecto ipsius esse, in priuatione huius fit.

*Per id, quod corpora in seipsa contrahantur, non monstrari corpus per corpus permeare. Caput duodecimum.*

**Q**UOD non monstratur ex eo, quòd corpora in seipsa contrahantur, corpus per corpus permeare. non enim quæ contrahuntur in seipsa retrocedentia contrahuntur, corpore per corpus permeante: contrahitur enim hoc, quod actu adhuc existens, manens in propria substantia, in minorem deducitur molem, aut ab aliquo, aut à seipso. omnia autem, quæ hoc patiuntur secretionem alicuius hoc faciunt, aut enim, cum separatur spiritus, reliquum corpus in spacium nuper ab illo occupatum coit: aut, cum humidum, quod est in ipsis, disseminatum: ipsa uero materia neq; ab initio contrahitur, cum neq;



neq; actu subsistat: fiunt autem sub ipsa corpora, quandoq; quidem in maiori mole, quandoq; uero in minori: eò quòd corporum illa quidem crassiora, hæc uero solidiora, alia uero tenuiora, & humidiora: quorum crassiora quidem & solidiora ad æqualem molem maiori loco indigent, humidiora uero, & tenuiora minore. idcirco quandoq; quidem in eadem materia est corpus ampliolem occupans locum, quandoq; uero minorem: eò quòd eadem materia effectiuarum utriusq; corporum qualitatum est receptiua. si igitur in permeatu corporum mutuo fieret aliqua corruptio, & mutatio in crassiora corpora, forte posset, quem pauloante alterum occupat locum, tunc posterius occupare & quod ex mistione utrorunq; fit. si autem idem manet utrunq;: quòd enim est in ipsis uidentur seruare, & sui ipsius naturam: quo pacto etiam posset hoc fieri? Amplius quædam, cum miscentur, non solum non crassius, immo & tenuius quàm prius erat ipsum efficiunt. quare oportebat ipsum, cum in maiori fiebat mole, etiam ampliolem occupare locum.

*Aduersus Platonicos, qui ex triangulis figuras, & formas corporum dicunt componi, non ipsa corpora. Caput decimumtertium.*



**N O M N I** mutatione est ipsum subiectum, de quo ipsum mutari prædicatur: nam in latione quod fertur subiicitur secundum illud mutatum: & in augmentatione, & diminutione quod augetur, & minuitur: & in alteratione quod alteratur: sed & in mutatione, quæ est secundum generationem, & corruptionem ex subiecto aliquo est mutatio: non enim est ex non ente generatio, & in non ens corruptio: & est in hac mutatione subiectum, in quantum subiectum. & in simplicium itaq; corporum generatione, & corruptione subici aliquid oportet, & hoc esse materiam ipsorum: ex quo enim primo, cum in fit, aliqua generantur, & in quòd ultimum dissoluuntur, hoc est illorum ipsorum materia: & simplicia itaq; corpora, ex quo primo subiecto generantur, & in quòd ultimum dissoluuntur, hoc ipsorum materia est. atqui in simplicibus corporibus subiectum sunt ipsa triangula: ex his enim primis est ipsorum generatio secundum ipsos: & in hæc ultima est ipsorum resolutio: triangula igitur materia sunt simplicium corporum: forma uero qualis, & quanta horum compositio. si autem hoc, corpora sunt, non autem formæ corporum, quæ ex triangulis generantur secundum eos. si enim esset aliqua alia materia ipsis subiecta, essent autem & ipsa triangula, duas utiq; haberent materias, quarum neutra ad alteram posset reduci. Si autem dicerent materiam secundum hæc etiam generari: secundum hæc quidem triangula, & sic figuratam ignem, secundum uero hæc terram ipsam: propter quid apud ipsos terra in alia immutabilis fiet: cum terræ subiecta materia possit æqualiter, & secundum ignis, & secundum aliorum corporum formatiua triangula figurari? neq; enim etiam in triangulis ipsa erant triangula, quæ mutabantur: sed ipsa subiecta materia figurabatur secundum hæc mutuo: manente subiecta materia similiter, si mutuo omnia mutantur. non dicit autem ipsa mutuo similiter mutari: hoc aperte ostendit quòd ipsis supponat materiam ipsa triangula: quoniam non similiter possunt componi, & figurari. neq; mutuo mutari etiam ipsa dicit, si quid à materia habent: si enim & grauitatem à triangulis: quòd enim ex ipsis pluribus constat, grauius dicere, minime utiq; si fiat ex illorum compositione mathematicum corpus: si uero non illud, naturale à triangulis apud eos, cum naturalia corpora sint.

*Si communia sunt notiones, notiones uero non sunt corpora, neq; ipsum commune erit corpus, etiam si sit notio communis corporis: nec definitio est corporis definitio. Caput decimumquartum.*



**I C O M M V N I A** sunt notiones, notiones uero non sunt corpora, neq; ipsum commune erit corpus, etiam si sit notio communis corporis: nec definitio corporis est definitio. An communia ipsa non simpliciter sunt notiones, sed à quibusdam, & de quibusdam: hæc uero sunt ipsa singularia. fiunt autem ab his, quæ communia non sunt, eò quòd ab eis intelligentia separentur: hæc uero per se differentia inter se singularia sunt, quibus ablatis quòd relinquitur est notio. An in omnibus est ipsum commune, quòd, quia non ita subsistit, ut intelligitur, uidetur subsistere in illis

Alex. Aphro. Qua.

E

de quibus dicitur : & est definitio huiuscemodi , & quod hoc modo intelligitur : & quod per ipsam notionem esse apparet , non ipsius notionis , sed eius , quod sic intelligitur . est enim definitio ipsius notionis significatiua , quæ ab ipsa re , quæ definitur , facta est . sunt enim notiones signa rerum : orationes uero notionum , quæ sunt ab illis . quare & corporis definitio erit notionis significatiua , quam dicimus ab ipso corpore , per abstractionem eorum , quæ insunt singularibus corporibus : quibus abstractis , quod relinquitur commune est , & idem in omnibus corporibus . cum autem sit naturæ corporis , & substantiæ significatiua , non erit utiq; de re incorporea . Neq; quia est ipsa incorporea , & ipsa notio , quæ est à corpore , propter hoc absurdum aliquid dicitur . definitio enim oratio , corpus uero non oratio : & in omnibus sanè non eius quod intelligitur significatum . si enim hoc ipsum , existimabit aliquis & albi orationem albam esse , & grauis grauem . nam quòd non sit ipsius notionis definitio , hæc quidem dicit , triariam dimensum tangibile : non est autem huiusmodi ipsa notio : & hæc animal rationale mortale : nullum autem horum est in ipsa notione .

*Quo pacto dicimus eandem potentiam simul esse contrariorum. Caput decimumquintum.*



**V**M dicimus eandem esse potentiam contrariorum , non hoc dicimus , quòd eadem potentia & ambulat quis , & quiescit , & loquitur , & tacet : non enim , quæ mouetur potentia , eadem etiam quiescit : sic enim essent quiescere & moueri idem : siquidem , quorum potentia eadem est , horum & actus idem . sed est quod dicitur par illi , quod potest contrarium alicui , hoc & contrarium illi potest : nam quòd habet aptitudinem ad alterum contrariorum , necessario & ad alterum : inducit enim potentia alterius eam , quæ alterius secum . eadem ergo , hoc est æqualis : potentiam enim alicuius habere est nondum in illo esse , sed posse in illud immutari . quod autem immutatur in aliquid ex aliquo contrario illi immutatur : nam & intermedium contrarium semper : eò quòd quòd in contrarium alicui est immutandum in contrario ipsius sit : ex hoc enim est mutatio : quod autem est in aliquo , & abiicit ipsum , ut recipiat sui contrarium , amborum habet potentiam : cum possit utrunq; ipsorum successiue detinere , & abiicere . cum igitur secum ducat potentia alterius etiam alterius , horum eadem dicitur potentia contrariorum . ignis autem non item habet frigidi potentiam , cum sit calidus : quia existens ignis , nunquam potest esse potentia calidus , sed semper actu huiuscemodi . & est uniuersaliter uerum illud , cuius aliquis habet potentiam , huius quoq; contrarium potest : aut enim ex necessitate erit in ipso , & non poterit amplius illud : & si hoc potest , poterit & illud : & cum non habet ipsum , potentia habet . si autem non habere & habere opponuntur , quod habet potentiam alicuius , etiam oppositi ei potentiam habet . Non necesse est autem contrariorum & potentias dicere contrarias : contraria enim impossibile est simul eidem inesse : contrariorum uero potentia simul sunt in eo , quod potest ipsa , quando in neutro ipsorum aliquo pacto actu fuerit : quando enim potest cæra fieri & triangularis , potest tunc & figuræ rotundæ . prius igitur quàm sub neutra harum sit figurarum , non magis potest in alteram ipsarum mutari : habens tamen utrarumq; simul potentias non ita eodem modo & utraq; simul recipere potest : nulla enim res est simul contrariorum receptiua , quamuis simul habeat ipsorum potentias . si enim non haberet materia simul ad contraria aptitudinem , sed nunc hoc quidem ipsorum posset , nunc uero illud , non esset utiq; sui ratione qualitibus carens : præsentia autem alicuius , & differentia , nunc hoc quidem contrariorum , nunc uero alterum poterit . idcirco potentia quidem contrariorum non sunt dicendæ contrariæ : cum ipsæ quidem simul existunt , contraria uero simul existere non possint : progressus autem in ipsis ad actum contrarios quippe & ipsos dicemus .

*Quo pacto , non eodem modo , ac artes coniecturales , etiam aliæ artes finem habebunt , omnia scilicet , quæ apud ipsas , facere , ut propositum assequantur .*

*Caput decimum sextum.*



**S**I I N artibus coniecturalibus dicat quis illum esse finem , omnia scilicet , quæ apud ipsas , facere , ut propositum assequantur , cur non & hæc , quemadmodum & artes non coniecturales , proprium finem assequantur ? uidentur autem ob hoc maxime differre ab aliis coniecturalibus , & quòd non eodem modo finem assequuntur . Hac differrent utiq; secundum eos , qui finem eis dicunt , assequi propositum . at secundum



quos ipsum propositum est eis finis, non & ea, quæ finis, non sunt eodem modo, non differrent ab eis penes id, quod non est similem eis finem habere. illæ enim, cum ad ea, quæ fiunt secundum artem, sequatur id, cuius gratia fiunt, & frustrentur à proposito ob errorem eorum, quæ fiunt, quæ ex arte non fiunt, finem habent ipsam propositi assequutionem: tantundem enim in illis est & omnia apud ipsas facere, ut propositum assequantur, atq; ipsum assequi: hæc enim facientibus; quæ apud ipsas, eueniunt. in coniecturalibus autem, cum non omnino ad ea, quæ fiunt secundum artem, sequatur id, cuius gratia, quia indigent multis, ut illud assequantur, quæ in sola arte non sunt: insuper etiam, quia hæc ipsa, quæ fiunt secundum artem, non sunt terminata, nec eorundem sunt effectiua: eo quia, non ex omni parte similiter admoventur per omnia, aut per aliqua, & aliter in ipsis, non ut sperabatur, fore: assequi propositum non est earum finis, sed ea perfecisse, quæ ipsius artis. An finis quidem & in his est id assequi, cuius gratia omnia, quæ apud ipsas, faciunt, faciendo, omnia quæ apud ipsas. est autem ipsarum, opus proprium omnia, quæ apud ipsas, ut propositum assequantur, fecisse: cum non hoc solum sufficiat ad assequendum propositum, sed & aliis quibusdam indigeant, quæ in arte non sunt.

*Quod non, si est illo, qui est, ut  $\delta\omega\epsilon\kappa\kappa\alpha\upsilon\mu\alpha$ , idest succensus fomes, qui est elementum est, calidior aliquis ignis alius, propter hanc causam mixture contrarietate illud.*

*Caput decimumseptimum.*

**N**O, quoniam magis calidum est feruor ignis, qualis est & ignis apud nos, igne, ut elementum, qui & succensus fomes dicitur, iam in illo minus est calidum mixture contrarii. flamma quippe minus calida est ignito ferro, sed non frigiditatis mixture: sed est intensio in ferro propter materiae soliditatem, & resistantiam. cum enim resistat, & non cedat, calidum quoq; quod est in ipso, præbet huiuscemodi. ignis etiam, qui ut elementum est, cum natura sit rarus, & siccus, & non mixtus materie, quæ fouere talem ignem possit, ita calidus est. deinceps hæc ipsum attingunt, quæ ipsi contractionem quandam, & densitatem præstant, & huiuscemodi igni nutrimento. idcirco & rationabilius posset quis dicere ignem huiuscemodi mixtum esse contrario: nutrimento enim indiget hic, & seruetur, quousq; hoc habuerit: contrarium autem est nutrimento contrario. Præterea quoq; quoniam est materia huiusmodi ignis, habebit porro & aliquid sibi contrarii, quod ferens in se mutat: ille uero non in nutrimento ignis: sed est sincerus, purus, non mixtus contrario, per se subsistens, quemadmodum & aliorum elementorum singulum.

*De hoc, quod natura sit principium motus.*

*Caput decimumoctauum.*

**A**T V R A M esse principium motus perspicuum est ex eo, quod principio motus differunt naturalia à non naturalibus corporibus: quo autem differentia naturalia à non naturalibus naturalia sunt, hoc est natura: quæcunq; igitur corpora generabilia sunt, cum sint naturalia, hæc in alienis locis generantur, & motus cooperatur in eis, ut ad proprium locum perueniant: ad quem, cum peruenierint, quiescunt secundum locum, & perfectionem adeptæ sunt, quatenus genita sunt: habebant enim & principium in seipsis motus ad hoc. corporibus uero ingenitis, & sui natura perfectis, & quæ sunt in loco sibi naturali, natura, hoc est in ipsis motus principium, non, ut ex imperfectione ad perfectionem mutantur, confert, neq; ut ferantur in locum sibi naturalem: nam & perfecta sunt, & nunquam exeunt à loco sibi naturali: sed ut per operationem, quæ est secundum ipsum assimilentur entium optimo, æternoq; & continuo, et regulari motu imitantia & actualis ipsius existentiae necessitatem, & immobilitatem, & statum: per motum quidem ipsius actualem existentiam: est enim actus quidam ipse motus: oportebat enim imitantia id, quod est actu simpliciter, & nullo modo potentia communicans, per actum sibi naturalem hoc facere: per motum uero continuum, uel & ordinatum, & similem semper æternam ipsius imitantur naturam. neq; enim, si non moueretur, esset corpus naturale, quod est corporum propriissimum, neq; cum moueatur, ut stet quandoq; & non continue moueatur rationabilem habet causam: nec enim à loco, nec à motu præter naturam, nec ab imbecillitate, quæ mortalibus in-

Alex. Aphro. Quæ.

E ii

est: idcirco, cum sui natura continue moueantur, per permanentiam in motu illius quietem imitantur. At quòd non solum moueri, sed continuo, & aeterno motu moueri sibi naturale est, demonstrat & figuram ipsa habere sphaericam: quoniam optima, & perfectissima figurarum optimo corporum natura debetur: huiusmodi uero figuræ quies est præternaturalis: idcirco nec basim habent aliquam, qua sistent.

*Quod, si mundus est aeternus, esse uero ipsi mundo ordo est, esset & hoc in sui propria substantia. Caput decimumnonum.*



**S**I MUNDVS sui natura æternus: mundi uero esse tali quodam ordine constat, ordinem etiam a natura sua haberet: quod si hoc est, nec ad esse, nec ad ordinem, quem habet, indigeret eo, qui prouisurus esset. atqui omne quod prouidet, uel ut sit illud, cui prouidet, uel ut bene sit prouidet: ad quorum neutrum, cum mundus indigeret eo, qui prouisurus sit, neq; penitus prouideretur. An mundus quidem uniuersus non indiget eo, qui prouisurus sit, nec ut sit, nec ut bene sit: sed, quæ sit prouidentia in mundo, sit, cum pars sit aliqua in mundo, quæ prouidet, pars uero aliqua, quæ prouideatur: quatenus enim ipsius corpus ingenitum est, & incorruptibile, semperq; secundum sui naturam, & animam ordinatum, & suo motu primi Dei imitationis desiderio motum, hoc nihil eget eo, qui prouisurus sit: cum in propria natura, & ipsius esse, & ipsius bene esse perfectionem habeat: quatenus autem ipsius generabile, & corruptibile, & alieno indigens auxilio, & ad esse, & ad æternitatem secundum speciem per ordinatam mutationem, hoc est, quod prouidetur à motu recte ordinato partis mundi Diuinæ, & quod certa quadam ad ipsam habitudine gubernatur: à quo, quatenus contingit, cum sit morti quid obnoxium, ordine participans, & ab ipsis illum assequens, seruat propter ipsum incorruptibilitatem secundum speciem.

*Quo pacto, quod mutatur in aliquid, per potentiam, quam habet, seruat potentiam, & postquam mutatum fuerit in quod mutabatur. Caput uigesimum.*



**Q**UO pacto, quod mutatur in aliquid per potentiam, quam habet, mutationis in ipsum, antequam in ipsum mutetur, mouetur, & seruat potentiam, qua potest omne illud, ex quo mutatum est, & fit iterum illud, ut dicit Aristoteles de mundo, si genitus esset: ob hoc enim dicit ipsum etiam corruptum iri. non enim sic se habentia conspiciuntur ea, quæ fiunt. nam nec subsellium, quod ex hoc ligno est factum, seruat amplius potentiam, ut fiat huiusmodi lignum: neq; in idem est mutatio, & corruptio. neq; homo ipse, qui ex quibusdam per mutationem fit, rursus in illa corrumpitur, ex quibus ipse generatur, hunc scilicet sanguinem menstruum, & hoc semen. An, quæ quidem ab artibus fiunt, non redeunt iterum in materias, cum neq; sit opus artis ipsa materia, ex qua faciebat opus ipsum: sed nec est opposita operi, quod fit, in quod id, quod fit, mutatur. cum autem habeat ipsum subiectum, naturale etiam existens, potentiam suscipiendi hanc formam, & si non susceperit, seruans potentiam ipsius separari à forma, quam recepit, & separatur ab ipsa, & corrumpitur, & aduenit ei corruptio, quemadmodum & generatio, ab aliquo extrinseco, aut aliquo huiusmodi, si ut artificiale corrumpatur: aut à natura, si una cum subiecti corporis naturali corruptione corrumpatur & artis opus. At in generatione eorum, quæ natura fiunt, quemadmodum quod generatur, ita & ipsum subiectum natura: & est primum subiectum ipsa materia, quæ nunquam est actu per se: actu uero subiecta sunt ipsa elementa: quæ iam cum aliqua qualitate, & contrarietate existentia, inuicem mutantur secundum contrarietates, quas mutuas habent, subiecta ipsis materia communiq; tota existente, & alterante ipsam formam secundum dominantem qualitatis contrarietatem. cum enim hoc aliquid facta est, & habeat potentiam ut sit in contrario huius, seruans potentiam, mutatur quandoq; & in illud: idcirco nullum est incorruptibile simplicium corporum, & genitorum. fiunt autem ex simplicibus his corporibus & ipsa composita per mitionem quandam, & temperamentum, & commensurationem potentiarum: per quam non in aliquod unum simplicium fit mutatio, sed in quoddam medium, quod omnium qualitatum, atq; potentiarum, quæ simplicibus corporibus subiciuntur, particeps est. cum autem habeant potentiam & ipsius separari iterum ab inuicem corpora



simplicia ex miftione huiuscemodi refoluuntur, & feperantur: idcirco impoffibile eft, quid quid ex ipsis conftat eſſe incorruptibile. fit autem & animalium generatio per commenfurationem corporum quorundam, quæ ipſa iam miſta ſunt: non enim eſt ſimplex corpus quod immanet: per quam commenfurationem & animata fiunt, & unita, & certas quaſdam habentia potentias: qua commenfuratione ſoluta: ob id, quòd ea, ex quibus generata ſunt, cum mutantur, non ſeruant potentias, ſecundum quas eſt commenfuratio: reſolutio, & diſſolutio ipſorum fit: non in ea, quæ non amplius in ipsis ſeruantur, quale & menſtrum: nam & hoc ipſum erat compoſitum: quæ compoſitio poſterior eſt prima miſtione, & compoſitione corporum, ex quibus animal ipſum conſtat: ſed cum illa mutantur, ex quibus hæc ſunt corpora: hæc uero erant elementa ipſa, quæ ſeruantur, & ſoluuntur ab inuicem ex incommenfuratione quaſdam, quæ fit in ipsis ob id, quòd ex ipsis exuberat: quandoquidem potentiam non habent, ut in infinitum huiuscemodi commenfurationem ſeruent. animalia quoque & alia compoſita corpora in elementorum reſolutionem corrumpuntur, ex quibus per commenfurationem quaſdam elementorum mutuam generantur & conſtant. & mundus quoque, ſi ex corporibus quibusdam actu exiſtentibus per mutationem aliquam genitus fuit, proculdubio illa corpora ſeruantur in ipſo, per quorum mutationem ipſe generatur: ſeruata uero, & potentia iterum illo modo ſe habere, ut ſe habentia mutantur, iterum ad eſſe mundi mutantur: in quem ſi mutantur non eſſet amplius mundus. quemadmodum & ſimplicia corpora inter ſe ipſa prima mutari uideamus: eò quòd ſubiecta ipsis materia ſuſceptiua eſt eorum, quæ formant prima corpora, & compoſita: cum, aut per naturam, aut per aliquem extrinſecum caſum ſuperauerit aliquid in eis, quòd ſoluit commenfurationem ipſorum mutuam, per quam habet eſſe compoſitum corpus.

*Non eſſe per accidens prouidentiam ſecundum Ariſtotelem. Caput vigefimumprimum.*



**C**V M haberemus pauloante ſermones cum ſociis de prouidentia: & tentarem ego monſtrare quòd ſecundum Ariſtotelem numina ipſa mortalium curam habent, & prouidentiam: promptumque eſſet dicere quæ nam eſſet, & quo pacto fieret: dixit quidam eorum, qui aderant, prius dignum eſſe diſcere quo pacto reſpondere oportet interrogantibus, utro potius modo a numinibus prouideri hæc, quæ apud nos, dicere opus ſit, principaliter ne, an per accidens. qui enim negant eſſe ſecundum Ariſtotelem prouidentiam, quam ſcilicet nos dicimus fieri prouidentiam, per accidens adiunt dici, & fieri. ſi uero in omnibus, quibus additur ipſum per accidens, quòd non proprie ſint ea, quæ dicuntur, ſignum eſt, hoc neque proprie ens eſſe, neque ens quodammodo, neque per accidens dicta prouidentia prouidentia erit, cum eiufmodi additione dicta. per accidens enim mota eſſe dicuntur, quæcumque non proprie mouentur, nec per ſe. per accidens quoque cauſæ hæc dicuntur eſſe, quæ nihil his principaliter conferunt, quorum eſſe dicuntur cauſæ. ſi itaque & prouidentiam cum hac additione dicamus fieri, fortaiſſe ex his, quæ ipſi dicimus de prouidentia, deſtruemus eſſe prouidentiam. quemadmodum enim adulteratam drachmam impoſſibile eſt drachmam eſſe dicere: quia quòd additur aufert eius eſſentiam: ita nec per accidens prouidentiam poſſumus dicere prouidentiam: quia ipſum per accidens in omnibus additur ad deſtructionem illius, cum quo componitur. Et ego ad ipſum. Cur tibi neceſſarium uidetur prouidentiam alteri horum neceſſario iungendam eſſe, & cogi reſpondentem ſic interroganti, aut principaliter, & per ſe fieri dicere ipſam, aut per accidens? Et hic. quis enim aliud quid præter hæc dicens, recte reſpondere uiſus fuerit? Maniſteſtum dixi quòd, ſiquidem nullum uideretur poſſe eſſe inter ipſum per ſe, & ipſum per accidens, cogeretur rectè ad interrogationem reſpondens in altero prouidentiam ponere. at ſi poteſt eſſe aliquod horum medium, proculdubio qui hoc monſtrauerit, interrogationem quoque non neceſſariam monſtrauerit: cum non omnes complexa fuerit modos, qui de prouidentia dici poſſunt. Etiam quoduis, inquit, ſit huiufmodi, quòd, cum prætermiſſum fuerit, deſtruit reſponſionis neceſſitatem. Et ego. puto quidem hoc fore notum, an hoc modo ſe habeat, nec ne, ſi prius nobis ipsis in memoriam reduxerimus quid utruque illorum ſignificet, per ſe inquam, & per accidens. quòd, cum ille me recte dicere affirmaret, tentavi ſignificatum utriſque eorum, quæ in interrogatione ponuntur exponere, dicens. Per ſe quidem alicui hunc dici prouidere, qui ſpectans utilitatem eius, cui proſpicit, operatur, & agit huius utilitatis gratia ea, quibus ſe conſequitur id, quòd



spectat, existimat, finem statuens operationum utilitatem eius, cui prouidet. Per accidens uero prouidere aliquis alicui dicitur, cum, eo, qui ita dicitur prouidere, nihil agente ad utilitatem eius, cui prospicit, ex quibusdam, quæ ab illo fiunt, aliquid ipsum utilitatis consequi contigerit: cum ille, qui hoc modo prouidet, quod accidit prorsus ignoret. nam & thesaurum inuenisse uidetur per accidens, qui primo alicuius alterius gratia fodit, neque se inuenturum expectans. & ex fulmine aliquo perit per accidens: eò quòd nec fulmen huius gratia delatum est: nec huius facturum esse aliquid nouit fulminis fabricator, uel opifex. cognitio enim alicuius eorum, quæ sequuntur ad ea, quæ alterius gratia fiunt, destruit fieri id ab illo per accidens: cum per accidens quidem sit, quod præter rationem uidetur fieri: prænotionem uero eorum, quæ per rationem fiunt, signum esse uidetur. nonne de his, & illis, quæ ita fiunt prædicamus uerbum per accidens? Et ille nempe non de aliis. fortunam quippe causam per accidens dicentes, in paucioribus ipsam definimus, ipsius fieri raro, à non prouidente. Atqui, dixi ego, cum huiusmodi sit per se, & per accidens prouidentia, multis puto non indigebis sermonibus, ut non existentes esse sufficientem, quæ uult in solas per se, & per accidens prouidentiam diuidendam esse. Recte dicis, inquit ille. nam si quis cognoscit utilitatem, quæ fit alicui ex his, quæ ipse facit gratia alterius, is, ut ex prædictis liquet, nec per se prouidet, nec per accidens ei, cui hoc modo ex aliquo eorum, quæ facit, utilitatem præstat. At, dixi ego, si cognitioni utilitatis, quam alicui facit, eius quoque uoluntas accedat, nonne etiam multo magis prouidentiam, quæ hoc pacto fit, dices ab ea, quæ per accidens distare? Et hic maxime quidem. ferè enim per se est, quæ hoc modo fit prouidentia: cum per se prouidere sit gratia eius, cui prouidet, omnia facere: per accidens uero gratia alius aliquem facere, sed ignorantem utilitatem, quæ huic fit per illud, neque uolentem. Faciens uero non quidem huius gratia, sciens autem, & uolens præstare utile, hoc huic prouidet quidem, sed nec per se, nec per accidens. Et si præstat huic quidem utile, sed in seipsum illud utile refert, hoc nec per se, nec per accidens prouidet. Et si quid uniuersalibus quidem per se, particularibus uero per accidens, nec hoc simpliciter, nec per se, nec per accidens singularibus prouidet: non per se quidem, quia non horum gratia: non per accidens autem, quia non est diuersum uniuersale à particularibus: in his enim est ei esse deficere ab hoc, quòd fiat per se principaliter. Sed quid dices, dixi ego, de hoc, qui aliquibus quidem prouidet, in seipsum tamen ab his, quibus prouidet, utile refert: quo pacto pastores uideamus pecudibus prouidere, & bubulcos bobus, & caprarios capris, similiter & equorum pastores, & subulcos his, quæ pascuntur, & de pascuntur ab eis. Sed, hic quidem dicebat, & omnis sanè, quæ hoc modo fit prouidentia, parum quid differt ab ea, quæ principaliter, & per se fit: aliorum enim, quæ similiter fiunt, intentio sola transposita huiuscemodi prouidentiae ad eam, quæ per se differentiam facit. Sed nonne & qui dicit, dicebam, eò quòd quorundam quidem per se prouidentia fiat, quorundam uero per accidens: per se quidem uniuersalium, per accidens uero eorum, quæ sub eis: alium quendam prouidentiae modum dicit præter dictos à principio? Quodammodo enim, dixit, alium, cum ipsum commune aliud sit à singulo eorum, quæ sunt sub eo: in his tamen unum quid habens esse: & ob hoc communicans eis quodammodo ea, quæ ob ipsum principaliter fiunt. Et ego ad ipsum, manifestum est igitur, dixi, ex concessis, quòd quouis posterius dictorum modo prouidentiam quis dicat, nec principaliter, nec per accidens ipsam fieri dicet. Est porro, dixit, manifestum. Sed cum hoc iam manifestum factum sit, dixi, euidentis est nec primam propositionem, quam dixi quosdam interrogare, responsione dignam esse, nec tolli prouidentiam ab eo, qui horum modorum aliquo prouidentiam dicit fieri: ut uidetur ille tollere, qui eam per accidens dicit fieri. nam, prætermittentes horum alicui modorum attribuere numinum erga res in generatione, & mortales prouidentiam, dicere deos propter mortalium salutem proprias agere actiones prorsus à Deo alienum. simile enim est hoc, ac si quis dicat liberos, & dominos seruorum gratia esse, & propriis actionibus fungi illorum salutis, & ordinis gratia: siquidem aliorum omnium domini sunt ipsi Dii. nam si in omnibus nobilior est eo, quod gratia alius est, id cuius gratia est aliquid: quandoquidem nobilior est finis his, quæ ante ipsum: erit iuxta sic dicentes familiaris, & seruus domino nobilior, & numinibus mortalia. quamuis de seruis & dominis possimus dicere retributionem quandam in ipsis mutuam fieri ex actionibus, quas operantur: actiones enim dominorum salutis seruorum gratia fieri: conferre uero iterum ad dominorum salutem: in actione



enim feruorum dominorum salutem esse positam, ut sit alter alterius quodammodo finis. at Deorum salutem mortalium actionibus indigere dicere penitus absurdum esse uisum fuerit. Quomodo enim non est absurdum huic quoque consimiliter dicere & finem, & bonum Deorum in rerum mortalium ordine, & prouidentia situm esse? cum præcipue multa conspiciantur eorum, quæ in his fiunt, non digna proprio ordine. sed si numen ipsum suis fungetur actionibus salutis mortalium, non sui gratia, uidebitur porro mortalium penitus gratia esse. huius uero gratia faciet secundum eos, qui in ipsa prouidentia illius substantiam ponunt. nam quid aliud est ipsum numen secundum sic scribentem? nam quid id, quod relinquitur, si à niue album, & frigidum quis abstulerit? quid quoque in igne, si calidum extinxis, & à melle dulce, & ab anima mouere, & à Deo prouidentiam? si enim in ipsa prouidentia esse Deo est, secundum sic dicentem, & scribentem: omne autem, quod prouidet, alicui prouidet: & prouidere est propriis fungi actionibus gratia eius, cui prouidetur: necesse erit omnino Dei actionem, ut Deus est, eorum, quibus prouidet, gratia esse. aut quo pacto tibi uideatur? Et hic, quid enim aliud diceret, qui Dei substantiam in ipso prouidere statuit, ut & in calido eam, quæ ignis. Sed nonne, dixi ego, in omnibus imperfectiora sunt ipso fine, quæ fini ipsi conferunt? Quo enim alio, dixit, modo. Nonne etiam omne, quod proprias, & naturales actiones gratia alterius agit, illius gratia esse dicere necesse est? præcipue & si in sui substantia huiuscemodi sit? Maxime quidem. Sed finis aliud quid statuitur: cuius gratia agit quod agit: & quod in propria substantia habet alterius gratia esse, hoc necessarium est imperfectum esse, & honore secundum huic, cuius est gratia. Affirmauit ille. Necessarium igitur est his, qui eiusmodi ex numine mortalium prouidentiam dicunt, numen ipsum mortalibus imperfectius dicere: & horum gratia existens: quo quid magis impium fuerit? & magis Deorum substantiæ, & estimationi alienum? Et ille uera inquit narras: & necesse est his, qui eiusmodi prouidentiam, & ita fieri dicunt, hæc sequi, & alia his similia: multa enim eorum, quæ hic fiunt, nec cognitu à principio digna esse uidebuntur, nec ab aliorum fieri prouidentia. absurdum quoque sequetur ad eos, qui omnia quidem prouidentia attribuant, solum autem honestum bonum dicunt, & illud in nobis ponunt: cuius boni hominibus non potest aliquid a Diuina prouidentia fieri, in qua Deorum essentiam esse dicunt: idcirco sermonem de his seponamus in longius ocium. sermo uero ille, quem nos nunc prius auspicati sumus, inquirere mihi uideatur, quomodo oporteat dicere secundum Aristotelem prouidentiam fieri, cum nec per se, nec per accidens ipsam dicamus fieri: sunt autem præter hos inuenti plures prouidentia modi: quæsierit porro quis, quem nam eorum Diis congruere dicamus. Et ego ad ipsum: nonne propositum erat nobis interrogatam interrogatorem ab his, qui præcipue dicunt Diuina generabilibus & corruptibilibus prouidere, aut inane esse, nec omnino responsione dignam: cum plures sint modi, quibus possumus dicere prouidentiam fieri: si uero circa duos tantum fuerit, quorum neutro prouidentiam, quæ ex Diuinis inquiritur, fieri posse ostensum est, falsam. Erat quidem hoc, dixit. Sed quia satis demonstrauit, sit iam tibi sermo perfectus, quem aduersus illos proposui. uerum nostri gratia dignum est te his, quæ iam demonstrata sunt, assensisse. si enim uideantur iuxta eam, quæ ab Aristotele dicitur, prouidentiam hæc destructa, quæ ad prius dictas opiniones sequi ostensa sunt: non paruum & hoc accedet testimonium ad opinionis maxime ueræ confirmationem. est quidem, ut dixi, non facilis de his sermo: cum præcipue nullus eorum, qui ante nos, hoc demonstrare sategerit. nullus quippe opinabitur, quantum ego norim, eorum præcipue, qui præcesserunt, Aristotelis sermonem de hoc quæsito non explicasse, ut his, quæ ipse dicit consentanea ostenderet ea, quæ ab Aristotele dicta sunt. sed quia & tu uis: & rectum esse existimo, ut, quantum de ipso pertractare possumus, ad tantum sermonem deducamus: melius putantes, & si parum, his affluere, quæ de ipso dici possunt, quàm timentes finem quæsito imponere non potuisse, etiam à paucis abstinuisse. Non est igitur ad ipsum pigritandum: Conabor autem una cum sermone de his ostendere, & eos, qui quæ Platonis sunt pollicentur: maxime uero sibi ipsis persuadent nihil ab Aristotele de prouidentia dictum esse, nihil

explorate, atque accurate dicere.

*Expositio textus ex secundo de Generatione, et Corruptione Aristotelis, diuersa ab ea, quæ in commentario in illum, est uero textus hic. Caput vigesimum secundum.*

**I** G I T V R in infinitum sunt in deorsum, non erit necesse eorum, quæ  
 posterius, hoc factum iri simpliciter, sed ex suppositione: semper enim alterum  
 prius necessario erit, ob quod necessarium & illud factum iri. Si in quibus ipsum  
 posterius ex necessitate, in illis solis illud uerum esse ostensum fuerit, si primum,  
 ex necessitate posterius: in generatione autem in infinitum, non est posterius ne-  
 cessario, cum neq; ipsum fiat: neq; utiq; ante id, quod ultimum fit, aliquid simpliciter ex ne-  
 cessitate fiet: cum solum ea, quæ sunt inter ultimum necessitatem simpliciter habeant ab ipso  
 fine, si hoc simpliciter ex necessitate fiat. si enim illud fit ex necessitate simpliciter, tunc & quæ  
 ante ipsum ex necessitate erunt intermediarum, & eius, quod in infinitum fit, singulum ex  
 suppositione necessitatem habens. si enim hoc quidem tale erit, oportet & hoc, quod est ante  
 ipsum: & similiter rursus illud necessitatem habebit: nam & illud ex necessitate erit, si quod est  
 post hoc: & ita procedentibus, cum nullum sit ultimum infiniti, quod est ex necessitate fit sim-  
 pliciter generandum, ex necessitate generabantur & quæ ante ipsum: ad quæ rursus, cum ex ne-  
 cessitate fiant, sequebatur & ultimum ex necessitate fieri, si ipsa prima. non item in his, quæ hoc  
 modo fiunt, est huiuscemodi consequentiam sumere, eam scilicet, si primum, ex necessitate &  
 posterius. Illud autem. Quare si non est principium infiniti, nec primum erit, ob quod necessari-  
 um erit factum iri, illi æquiualeat. quare si non est finis infiniti: principium enim nunc dixit ipsum  
 finem: quoniam ab huiuscemodi, si necessario fiat, principium huius, quod & omnia ipsum  
 præcedentia ex necessitate generari debent. quod si non est hoc nec consequentia illa in ipso ue-  
 ra erit, quæ dicit, si primum, posterius: eò quod huiuscemodi consequentia uera fit in his, in  
 quibus aliquod ultimum ex necessitate fit: cum sequatur hoc ad id, quod ex necessitate fit, &  
 quæ scilicet ante ipsum sunt fieri ex necessitate: & uerum esse in unoquoq; ipsorum illud, si pri-  
 mum, & posterius: nam necesse est, si huiusmodi consequentia uera futura est, esse aliquid ex-  
 tremum in his, quæ sumuntur. quod autem principium ipsum & extremum dicit, demon-  
 strauit per ea, quæ paulopost dixit hoc modo. Horum autem, si quidem erit æterna, non in re-  
 ctum possibile est, eò quod nullo modo sit principium, neq; si deorsum ut in futuris sumamus,  
 neq; si sursum, ut in his quæ facta sunt. Illud enim, neq; deorsum in futuris, principii, ut finis,  
 declaratiuum est. oportet igitur deorsum esse principium, si quæ generantur necessitatem sim-  
 pliciter sint habitura: quoniam, cum hoc supponitur simpliciter necessario futurum, uerum fa-  
 ctum est hoc, si primum, ex necessitate & posterius: sursum uero minime,  
 quoniam sic poterimus assumere id, si primum posterius.

*De lapide Herculeo, propter quid trahit ferrum. Caput vigesimum tertium.*

**M** P E D O C L E S quidem à defluxibus, qui ab utrisq; fiunt, & mea-  
 tibus lapidis, qui cum meatibus ferri commensurati sunt, dicit ferrum ad lapi-  
 dem ferri: huius enim defluxus aërem, qui est in meatibus ferri ipsos operientem  
 propellunt, & mouent: hoc autem separato, defluxu toto simul fluente, ferrum  
 sequi: cum autem feruntur ab ipso defluxus ad lapidis meatus, quia sunt eis com-  
 mensurati, & conueniunt, etiam ferrum ipsum cum defluxibus sequi, & ferri. At quæsierit  
 porro quis, etiam si concessum fuerit quod de defluxibus, cur nam lapis non sequitur & ipse de-  
 fluxus proprios, mouetur autem ad ferrum? nam nihil magis ex dictis lapis ad ferrum, quam  
 ferrum mouebitur ad lapidem. Præterea, cur non & absq; lapide mouebitur ferrum quandoq;  
 ad aliud quid? si congregatim ab ipso defluxus ferantur: cur enim soli à lapide defluxus moue-  
 re possunt operientem meatus ferri aërem, & detinentem ipsos defluxus. Amplius, cur nulla  
 alia res ad aliquam aliam ita fertur? & si multa dicantur ab ipso commensuratos defluxibus mea-  
 tus inter se habere. dicis quippe aquam cum uino magis conuenire, sed oleo non uult: neutrum  
 tamen horum ad alterum fertur. Democritus etiam ipse ponit & defluxus fieri, & similia ad si-  
 milia ferri, sed & in commune omnia ferri. hæc cum supposuisset, sumit lapidem, & ferrum ex  
 similibus atomis constare, tenuioribus autem ipsum lapidem, & esse rariorem, & pluribus ua-  
 cuitatibus plenum, & ob hoc facilius mobilem ad ferrum citius ferri: est enim ad similia latior:  
 & ingredientia in meatus ipsius ferri mouere, quæ in illo sunt corpora, elabentia per ipsa ob te-  
 nuitatem: hæc uero mota, & extra defluentia ferri & ad lapidem ipsum, propter similitudi-  
 nem, & quia plura habet uacua: ad quæ sequens ipsum etiam ferrum ob congregatum simul  
 totum



totum excrementum, & lationem, ferri & ipsum ad lapidem: non item etiam lapis fertur ad ferrum, quia non habet ferrum tot uacua, quot lapis. At lapidem quidem, & ferrum ex similibus constare fortasse quis admiserit: sed quomodo ad ipsum electrum etiam palea, quia & in illis dicit hanc causam. Amplius multa alia trahuntur ab ipso electro, quæ, si omnia ex similibus constant, & illa, quæ ex similibus inter se constant, se uicissim traherent. Diogenes quoque Apolloniatas ductilia omnia, inquit, etiam emittere à seipsis nata esse humiditatem quandam, & trahere ab extrinseco: illa quidem maiorem, hæc uero minorem: plurimam autem æs, & ferrum emitte: cuius signum est, exuri, & absumi aliquid ab eis in igne: & si aceto, & oleo ipsa ungan- tur æruginari: hoc enim pati, quia extrahit ex ipsis humiditatem acetum: ignem enim exure- re humiditatem in ipso, siquidem exurere ipsi: quod uero in singulum ingreditur extrahere, & absumere quod est in eo humidum: cum ferrum trahat, & maius emittat humidum, lapidem rariorem existentem ferro, & terrestriorem plus attrahere humidi ab adiacente aëre, quam emit- tere: quod quidem sibi cognatum est trahentem in se recipere, & quod non cognatum repudia- re: esse uero sibi cognatum ferrum, quia attrahit ab ipso, & in se recipit, & propter huius at- tractionem ipsum quoque ferrum attrahi ob congregatam attractionem humidi, quod est in eo: ferrum uero non item trahere lapidem, eò quod ferrum non adeo rarum sit, ut possit recipere congregatam ab ipso humiditatem. Sed si hoc est: cur solus lapis trahit ferrum, nullum uero aliorum, quod sibi cognatum est, qualia sunt æs, & plumbum, siquidem & hæc humiditatem emittunt, & trahunt, & cognata quædam etiam his sunt, quemadmodum, & ferro lapis. Præ- terea, cur non & alia quædam solidorum trahit lapis, quæ magnam humiditatem emittunt, quibus etiam æs annumeratur: non enim, quia immanent, quæ trahuntur ob commensura- tionem sequitur illud, à quo defluit, quod attrahitur, sed quia attrahuntur: & decentius est, quorum non manet in trahente humiditas, sed emittitur hæc potius moueri: etenim plus ab ip- sis par est trahi, eò quod in seipso trahit, neque ab ipso repleatur, sed quia simile maneat, trahat. Simili uero modo in uniuersum necessarium erat de hoc dicentem primum quæsiuisse, quis at- tractionis modus. quædam enim ui, & tactu trahunt: & hæc, cum mouentur, mouent: non au- tem hoc modo lapis, cum sit immobilis, nec tangat ferrum, nec medium aërem trahat, aut aquam, trahit ipsum per ipsa: traheret enim supernatantia in ipso, & leuiora: eò quod attra- hant aërem medium, caliditate, quæ est in eis, electrum, & cucurbitula. neque hoc modo ille: in illis enim ignis motus, & exiens trahit proximum humidum, & tangens ueluti ab attracto con- tinuum attrahitur: lapis uero ferrum solum: si enim traheret aërem medium, ferrentur porro omnia, quæ in aëre leuiora ferro ad lapidem, prius quam ferrum. Attrahere uidentur & matrix semina, & uenæ, & membra nutrimentum: non sic autem lapis trahit ferrum: etenim horum, quæcunque trahunt, eò quod aërem, & humidum prius medium trahant, hoc per accidens fa- ciunt. Trahere etiam uidetur sol aquam: cum enim mutatur à caliditate solis, fertur ad locum sibi naturalem, qui est sursum, ubi & sol: non sic lapis, non enim mutat ferrum. Trahit etiam animal nutrimentum: & omne concupiscibile, & appetibile: non faciendo quod inter ipsum & ap- petentem sibi ipsi simile: non enim fit nutrimentum ipsum intermedium, neque hoc trahitur: sed motum intermedium ab appetibili præbet speciem ei, quod mouetur, ut in uisione fit. Sic & ferrum ad lapidem fertur, non trahentem ipsum ui ad se, sed huius desiderio, quo ipse quidem indiget: habet autem ipsum lapis, uidetur enim & lapis esse terra, ex qua ferrum foditur, ari- dus sane iam, uel à tempore, uel aliqua alia causa: non enim, quæ sensum tantum habent, & animata desiderant, quod est eis naturale, sed & inanimatorum multa hoc pacto se habent.

*Expositio textus ex secundo de Anima Aristotelis dicti paulopost principium.*

*Caput vigesimumquartum.*

**D** I C I M V S itaque unum quoddam entium genus substantiam: huius uero, hoc quidem ut materiam, quæ secundum se quidem non est hoc aliquid: alterum uero formam & speciem, per quam iam dicitur hoc aliquid: & tertium quod ex his. Materia, quæ per se non est hoc aliquid, quatenus formam & speciem re- ceperit, & habuerit, iam dicitur hoc aliquid: est enim unicuique materialium esse hoc ab ipsa forma. in simplicibus quidem, & primis corporibus nullo modo materia per se est hoc aliquid, cum prima, & proprie materia his proxime subiiciatur: sed in corporibus compo-

Alex. Aphro. Quæ.

F

fitis, quia his non amplius subiicitur proxime, prima, & proprie materia, sed ipsorum materia sunt his subiecta corpora: siquidem, quæ elementa uocantur sunt horum materia: erit quidem horum materia hoc aliquid: non tamen quod ex illis est generatum, esse hoc, quod generatum est, habet à materia, & illius forma, sed à forma, quæ genita est ex certa quadam compositione, & mixtione subiectorum ei corporum. non enim, quia ignis, & aër, aqua, & terra sunt materia carni, caro ab his uocatur, & est, sed à forma in ipsis generata, secundum quam caro ex ipsis genita habet essentiam suam: nam nec illa ab initio in carne seruantur amplius: sed quemadmodum in generatione simplicium corporum subiecta eis materia, hæc autem erat prima, per se quidem non erat hoc aliquid, subsistebat tamen, cum esset in aliqua alia forma, & per illam esset hoc aliquid: ignis enim, qui generatur, per mutationem materiae generatur, quæ abiicit quidem præexistentem formam in ipsa, & ipsam permutat in ignis formam: & non quia ex aëre, si ita accidat, sit hæc mutatio, ignis per aërem habet esse: quemadmodum nec materiae in ignem mutatio: sic neque composita corpora, quibus iam proxima materia est hoc aliquid, habent esse hoc aliquid à subiectorum eis corporum forma, sed ab ea, quæ ex illis, & ab illis est genita: quapropter uniuersaliter uerum est omnem compositam substantiam à forma habere esse hoc, quod est. quod cum ita se habeat, est & illud uerum, singulam compositam substantiam, hoc ipsum, quod est, & dicitur, hoc ipsius formam esse. quare cum & ipsum animal composita sit substantia, & animali ipsi esse, & dici ab anima, & per animam sit, animalium forma erit ipsa anima: ita quoque de aliis animatis ultra ipsa animalia. Esse autem ipsam animam formam, hac utens uia demonstraui. quoniam substantiæ, illa quidem est materia, hæc uero forma, alia composita: & est ipsa composita ex forma, & materia, habens esse hoc aliquid non à materia, sed à forma, quæ est in ipsa: cum sumpsisset naturalia corpora esse substantias, operantur enim, manifestum quoque, & quod composita substantia, cum autem distinxisset naturale corpus eo, quod uitam habet, sumpsit naturale corpus uitam habens esse substantiam compositam: non quia & naturale corpus per se non sit substantia composita, & simul utraq: sed quia ipsa iam, ex quibus constat, manifesta, ex corpore enim naturali, & uita, quæ est ipsa anima. Cum autem sumpsisset corpus uitam habens compositam substantiam esse ex materia, & forma, monstrauiſſetque animam, nec corpus, nec subiectum esse in animali, monstraui quod anima est substantia per formam: oportet enim ipsam, uel ut formam, uel ut materiam esse in ipso.

*Expositio alius textus ex secundo de Anima Aristotelis. Caput vigesimum quintum.*

**N**ON enim huiusmodi corporis quod quid erat esse, & ratio anima, sed naturalis huiusce habentis in seipso principium motus & status. Ad aliquid est, habentis principium motus, & status in seipso. At si huiusmodi est naturale corpus, quo pacto naturale erit ipsum Diuinum corpus, non habens in se principium status? An habet quodammodo principium status, cum scilicet per partes quidem moueatur, totum uero ut totum quiescat, semper enim est in eodem. Aut non de quocunque dixit naturali corpore, sed de eo, in quo generatur anima. Aut illud, habentis in se principium motus, & status, non de corpore dicit naturali, sed de habente animam: anima enim in his est principium motus & status.

*Alius ex eodem textus.*

**S**E M E N autem, & fructus potentia huiusmodi corpus. Maxime demonstrabitur animam non esse in subiecto per hunc textum: si enim organicum corpus, in quo est anima, ab anima habet esse organicum: nec, priusquam animam haberet, erat organicum: nec, cum abiit anima, est amplius organicum, non erit in eo, ut in subiecto: atqui non est in aliquo alio corpore ab hoc: semen enim est potentia animatum, cum possit fieri huiusmodi corpus, cuius anima est perfectio, & cui esse hoc, quod est, ab anima est.

*Alius ex eodem textus.*

**I**C A M V S igitur principium considerationis ipsius rei accipientes, distincti qui animatum ab inanimato ipso uiuere. Cum, ex eo, quod accepit quidem animam habens corpus compositam substantiam, omnem uero compositam substantiam ex materia, & forma constare, non esse corpus in subiecto aliquo, sed ip-



sum esse subiectum monstrauisset: & cum tradidisset rationem animæ, actum primum corporis, physici organici: tanquam nondum satis ostensum sit animam esse formam, quia ex tradita definitione non appareat causa, ob quam forma est, & actus huiusmodi corporis ipsa anima: cum iterum reassumpsisset, à superioribus hoc ipsum conatur ostendere: & primum quidem animæ potentias exponit: & cum monstrasset quasdam ipsarum primas esse, & ab aliis separabiles, quasdam uero secundas: & cum monstrauisset ordinem quendam in eis existentem: & quòd uiuere ipsum animatis est ab anima altrice, animali autem esse ab anima sensitua: cum etiam demonstrauisset in sensituius ordinem quendam esse: & quasdam primas, & ab aliis separatas, quasdam uero secundas, & à primis inseparabiles: & cum quæsiuisset, an quælibet animæ potentia anima dicenda sit, aut particula animæ: & si particula, sit ne tantum ratione separabilis, aut etiam loco: & cum monstrauisset plures eius potentias ratione tantum separari, de intellectu autem dixisset dubitationem aliquam esse: cum etiam dixisset secundum formam fieri animatorum differentias: & habere alia quidem potentias omnes, alia aliquas, alia unam tantum: post hæc de monstrauit quomodo anima est forma, & actus: nam quia corporis subiecti aliquid est, qualiscumq; existens, & inseparabilis est ab eo. Demonstratio uero est huiusmodi. sumpsit illud, in omnibus, quæ talia esse dicuntur, qualia sunt primo, & secundo: & per quòd quidem primo dicuntur, hoc esse ipsorum formam, per quòd uero secundo, hoc esse subiectum, & materiam formam illam continentem: & cum hoc inductione probauisset, sumpsit illud, & animata ipsa dici uiuere, propterea quia animam quidem ipsam primam, habent. quod cum ita se habeat, ostensum est animam formam esse corporis, quòd ipsam habet, corpus autem esse materiam.

*Materiam non esse genus. Caput vigesimumsextum.*



**G**ENERI & materiæ communia sunt esse communia pluribus: & esse priora natura his, quæ sub ipsis sunt, & per quæ sunt communia: & compositione alius cuius formæ cum ipsis differentias sumere. nam quemadmodum, cum communis sit ipsa materia, formæ, quæ in ipsa generantur, per differentiam, quam habent inter se, differentiam faciunt, & ipsum compositum: ita & in ipso genere, cum sit commune, species, & differentia cum ipso compositæ, per differentiam, quæ est in eis, faciunt in generibus differentiam: quæ enim eadem sunt, diuersa fiunt differentium compositione. An sit ipsorum inter se differentia penes hoc, quòd non similem habent communitatem ad formas, & species, quarum est communitas: materia enim est communis, ut subiecta his, quibus est communis, subiicitur enim formis: genus autem est commune, ut prædicatur de his, quibus est commune: nam in materia subiecta formæ generantur, ut in ære figuræ: at non ita in genere species: genera enim de his prædicantur, quorum sunt genera. Et materia quidem, cum simul tota sumitur, communis est, quia omnes habet in se materiales formas: uerum unaquæq; eius particula communis est & ipsa, quia omnium successiue est contrariorum receptiua: genus autem ipsum commune est propriis speciebus: sed eius singulare non est commune: non enim possibile animal, quod est in socrate, in alio quodam factum iri. Et materia quidem res quædam est, & supponitur conferre, ut unumquodq; ipsorum sit hoc aliquid: genus uero, cum ut genus sumitur, non est aliqua res subiecta, sed solum nomen, & communitatem suam habens in intelligi, non in aliqua subsistentia. Et materia quidem numero incorruptibilis: genus uero specie incorruptibilitatem habet, & eorum, quæ fiunt, successione deficere non potente, singulare autem eius corruptibile est. Et materia quidem, compositæ substantiæ altera pars, in compositi corruptione separatur, & seruatur: genus autem est quidem & in simplicibus: huiusmodi enim sunt specierum, & accidentium genera: nec enim compositum, nec simul utrunq; ut ex forma, & subiecto, nec qualitatis, nec quantitatis, nec alicuius aliorum à substantia ipsa generum: sed in substantia composita & materiali compositum est ipsum genus, & commune, ut compositum, in ea. nam quemadmodum singularia sunt in animali composita, sic quippe & species ipsorum & genera: animal enim formam quandam significat in materia, non tamen est altera pars compositi, ut materia: sed constat essentia animalis ex amobus: idcirco non separatur eo modo, quo materia: habens enim aliquid formæ, in propria ratione, cum corrumpitur totum per formæ corruptionem, etiam ipsum per communicationem corruptibilis corrumpitur: id

circo animal, quod est in socrate, particula quodammodo existens generis, non permanet, cum corrumpitur socrates: ob id quoque, si omnia animalia singularia corrumpantur, tollitur & animal, quod est ut genus: ipsa materia nihil huiusmodi patiente. Nec formæ eodem modo sunt in materia, & in genere: nam in materia omnis forma generatur, existente absque forma secundum sui ipsius rationem: in genere uero, iam præcessit forma communior, & in omnibus, quæ sunt sub genere speciebus compræhensa fuit: idcirco nec omnis forma amplius in genere fit, cum eius pars præcesserit generis naturam complens: differentia uero, quæ communitatem formæ diuidunt, sunt quæ generi componuntur: ideo genus inseparabile est ab illis, quorum est genus, simulque cum eis corrumpitur: & non formarum, sed partis formarum est receptiuum: & non, ut subiectum, receptiuum, sed cum per intelligentiam sumitur, & separatur ab his, quibus est secundum esse coniunctum: ipsa materia priori existente quolibet materiali corpore: hæc enim quodammodo non existens per propriam rationem, postquam actu formam receperit, fit hoc aliquid, primum principium existens eius, quod est hoc aliquid, & compositi: ipsum uero genus ab hisce materialibus, singularibusque esse suum accipit per separationem eorum, quæ differentiam ipsius ostendunt, & faciunt. Materia quoque omnibus generabilibus, & corruptibilibus causa est, ut sint, & subsistant: genera uero his post accedunt, quæ à materia habent esse, & subsistentiam, opus componentis ipsa, separatione per intellectum aliorum ipsi coexistentium.

### ✦ CAPITA TERTII LIBRI. ✦

Quid est Reminiscencia.	Caput primum.
Expositio textus ex secundo de Anima sermone Aristotelis, per quem dicit. Speculans enim fit habens scientiam: quod quidem, aut non est alterari, in ipsum enim accretio, & in actum.	Caput secundum.
Expositio textus ex secundo similiter de Anima, per quem de sensu dicit, est autem hic. Determinatis uero his dicamus communiter de omni sensu.	Caput tertium.
Cur accessus, recessusque solis non pariter sunt generationis, & corruptionis causæ: & alius enim generatio alius est corruptio.	Caput quartum.
Quòd, simpliciter ex necessitate generari, & non ex suppositione, est in his, quæ circulo semper fiunt.	Caput quintum.
Expositio textus ex tertio de Anima Aristotelis, per quem demonstrauit plures quinque non esse sensus.	Caput sextum.
Alius textus expositio ex tertio de Anima, quo quærit, quomodo consensus nobis sentientibus fit.	Caput septimum.
An sensibile, quod ab omnibus sensibus per accidens sensibile.	Caput octauum.
Expositio textus ex tertio de Anima, quo demonstrat Aristoteles, quòd est aliquid, quo simul omnia sentimus.	Caput nonum.
De Mari ex Meteorologicis.	Caput decimum.
Argumentatio, quòd positioe nomina.	Caput undecimum.
Non esse infinitum ipsum ens.	Caput duodecimum.
De eo, quod in nobis, quædam.	Caput decimumtertium.
Discursus eorum, quæ in quarto Meteorologicorum, imperfectus.	Caput decimumquartum.
De eo, quod est ueluti impartibile.	Caput decimumquintum.



45

ALEXANDRI APHRODISIENSIS,  
NATURALIUM ANNOTATIONUM,

DIFFICULTATUM, ET SOLUTIONUM,

LIBERTERTIVS.

QVID EST REMINISCENTIA.

CAPVT PRIMVM.



**R**EMINISCENTIA est inuentio per inquisitionem phantasmatis, quod fuit quandoq; in corpore, in quo est anima sensitua.

*Expositio textus ex secundo de Anima sermone Aristotelis, per quem dicit. Speculans enim fit habens scientiam: quod quidem, aut non est alterari, in ipsum enim accretio, et in actum. Caput secundum.*



**V**M dixisset Aristoteles in secundo de Anima de potentia, quæ ab habitu, quam dixit secundam: prima enim potentia erat ipsa aptitudo ad apprehensionem habitus: cum inquam de ipsa hoc modo dixisset. Speculans enim fit habens scientiam, quod quidem aut non est alterari, in ipsum enim est accretio, & in actum, aut est aliud alterationis genus: idcirco non recte se habet dicere, sapientem, quando per sapientiam agat, alterari: ueluti nec ædificatorem, quando ædificet. quod igitur ad actum ducit ex eo, quod potentia est, secundum ipsum intelligere, & sapere, non doctrinam, sed alteram habere denominationem iustum est. Hæc cum ipse dixisset, quæsitum fuit uniuersaliter post expositionem, an mutatio ad actum est motus: si enim non alteratio, multo minus aliquis aliorum motuum erit: quod enim ex intellectuali habitu mutatur ad ipsum intelligere, & agere, minime alteratio aliqua erit: cum alteratio sit mutatio secundum passionem: hæc uero non est mutatio secundum passionem, siquidem est eiusdem accretio: & operatio, quæ sequitur ipsum habitum, conseruatiua est habitus, & eiusdem perfectio: quandoquidem finis unicuique est id, cuius gratia: omnis autem habitus gratia operationis fit, quæ ab ipso prouenit. Si autem non secundum alterationem sic operans mouetur, multo magis nec secundum locum, aut augmentationem mouet corpus: corporum enim sunt huiusmodi motus: etenim ab habitibus, qui ab artibus, actiones fiunt quidem uel per motum, quia corporea administratione indigent: hæc uero, quatenus perfectiones sunt habituum, minime motus erunt. An potius melius est ipsas generationes quasdam dicere, siquidem ad perfectiones substantiarum, quarum sunt, conserunt: non enim cuiusque eorum, quæ per generationem habent esse, ad perfectionem accessus generationis eiusdem pars est. modo igitur quodam & mutatio, quæ fit ab habitu ad actum, per motum quorundam, pars est generationis ipsius artis: quoniam & omnis generatio per motum fieri uidetur. Sed si hoc in artibus dicere opus est, nunquid & in his, qui à speculatiuis scientiis, cum & ipsi actus quidam sint, hoc idem dicere oportet? est enim multo in his rationabilius non esse aliquem motum. at si & hæc generationes dicere opus est: omnis autem generatio est per motum, per quædam utique, quæ mouentur, & hæc generatio fiet. An oportet prius motum factum esse, ad cuius perfectionem conferat huiusmodi actio. An, quæ quidem ab artibus, ipsarum artium, & artes habentium, quatenus artifices sunt: in intellectu uero, & uirtutibus, & speculatiuis habitibus ad hominum perfectionem confert actio, quæ ab habitibus istis: sic quidem & actiones hæc hominis naturæ perfectiones sunt, ut homo est: est enim proprie homo, qui hos habet habitus, & per ipsos operatur, per quos homini maxime & proprie est esse homini. doctrinæ itaque motus, & alterationes sunt habituum effectiuæ, per quas fit hominis perfe-



ctio : erunt porro & actuum ab ipsis procedentium causæ : siquidem omne habitum habens mox operatur per ipsam : nisi aliqua impediatur earum, quæ actiones impediunt, ablatio, quæ & ipsa fit cum quodam motu.

*Expositio textus ex secundo similiter de Anima, per quem de sensu dicit, est autem hic.*

*Determinatis vero his dicamus communiter de omni sensu. Caput tertium.*



V M dixisset de potentia animæ nutritiua, transit ad sermonem de sensu : & primum quidem uniuersaliter, & communiter dicit de sensu, postea dicit progrediens de singulo seorsum. primum igitur sumit sensum fieri, dum aliquid mouetur, & patitur : uidetur enim per quendam motum, & passionem fieri. Cum autem sumpsisset sensum alteratione, passioneq; fieri, meminit de passione, & ipso pati, quo pacto fit, quod scilicet quibusdam uidetur simile à simili pati, quibusdam uero contrarium à contrario : huius autem meminit, quia erat ei futurum utile ad assignandum quid est sensus iecisse à quo nam patiantur patientia, quoniam & sensus ponitur passio quædam esse, & per passionem. Sed antequam de hoc de articulate loquutus fuisset, primum, cum dubitasset de sensu, quamobrem, cum sint in ipsis sensoriis sensibilia, non sentit hæc ipse sensus, sed extrinseca tantum : & soluisse dubitationem per hoc, quod sensus fit in potentia : sensus enim ad sensibile : sensibile autem est ab ipso separatum, quia nihil à seipso patitur, sensus autem per passionem : donec igitur sensibile non fuerit præsens, sensus est in potentia : cum etiam sumpsisset dupliciter dici ipsum sentire, potentia scilicet & actu, sumpsit ipsum sensum, quendam esse potentia, quendam actu, & pari modo ipsum sensibile. Cum etiam sumpsisset sensum per passionem fieri, & quendam esse potentia, quendam actu, consequenter dicit de ipso patiente, à quo patiatur, quod paulo ante mouerat. Cum etiam sumpsisset omne patiens pati à motiuo, & actu existente, hoc, quod patiens ab ipso potest factum iri, demonstrauit ex hoc, patiens aliquo quidem modo ut à simili pati, quodammodo uero ut à dissimili : patitur enim dissimile, passum uero simile est. utile uero ei rursus hoc ad id, & sensum, potentiam, si per passionem fit, patientem quidem agenti esse dissimilem, quod est ipsum sensibile, passum uero, & genitum similem ei esse. Ad quæ consequenter sumpsit sensum quendam esse potentia, quendam actu : & diuisionem facit eius, quod in potentia, & eius, quod actu, uolens per ipsam ostendere improprie dici sensum pati, & moueri : (non enim cuiusq; potentiæ accessus ad actum per passionem, & motum fit : dupliciter enim dicitur potentia sciens : & pariter omne aliud dicitur : quod enim naturam habet recipiendi scientiam, potentia est sciens, sed & habens iam, & quod recepit scientiam, non autem operans per illam, dicitur potentia sciens : ) quod non similiter dicitur monstrauit. Cum autem dixisset, & habentem iam scientiam, non operantem autem, potentia item & ipsum scientem dici, addidit, quod qui iam speculans, & operans est, hic est, qui proprie dicitur sciens, cum non sit amplius potentia. Post quæ differentiam dicens eorum, qui dicuntur potentia scire, demonstrauit quod qui primo modo potentia dicitur, qui scilicet, ut natura aptus est, non aliter mutatur, ut ad actum perueniat, nisi per passionem, & alterationem : per disciplinam autem iam habens non per passionem amplius, & alterationem ad actionem mutatur. Cum autem demonstrauisset quod non cuiusq;, quod est in potentia, ad actum mutatio passione, & alteratione, consequenter ipsius alterari, & pati diuisionem fecit : & sumpsit illud quidem corruptionem esse à contrario, & exitum ab eo, in quo erat, quomodo patiuntur omnia, quæ in contraria mutantur : hoc uero pati dixit consistere, non quia corrumpatur, sed quia in conseruatione, & accretione fiat, ea, quatenus se habet, ab eo, quod actu est, & simile : actio enim, quæ ab eiusmodi habitu, & potentia fit, cum sit perfectio habitus, non fit per mutationem in contrarium, sed per eiusdem mutationem ex ocio in actionem : habens enim scientiam fit per eam operans, quod est ad idem, & simile accretio. Similiter quoq;, cum dixisset, ut se habet potentia ad actum, quomodo, & quæ potentia, & ad quem actum referatur demonstrauit, addens, speculans enim fit habens scientiam : quæ mutatio non est alteratio : siquidem alteratio ex alio in aliud, & est ex contrario mutatio : quæ uero ex eo, quod est ita in potentia ad actum ipsum : (ad ipsum enim id est, quod habet, & quatenus habet.) accretio est : aut si & hanc alterationem dicere opus est, aliud porro erit genus, & alia quædam alterationis natura. Quod uero pati, & alterari, ut æqualia sumpsit, demonstrauit cum dixit, quod



non est alterari, tanquam enim sit æquale in ipso, quod non est pati. Quod cum demonstra-  
 uisset, addidit non oportere dicere sapientem, & intelligentem alterari: si autem non alterari,  
 nec moueri: nam si non est alteratio, apertissimum mutationem in loco, aut in quali non esse.  
 huiuscemodi quoque est ipsius potentia sentientis ad actualem sensationem accretio, atque mutatio:  
 idcirco sensus alteratio est communius sumpta. Hæc autem cum dixisset, percurrit in ipsis, quæ  
 nam ex potentia in actum mutatio alteratio est, & quæ non: quæ enim ex habitu in actum, qui  
 propter hunc, ut se habet ipsum intelligere, & sapere, quia non per doctrinam acquiritur non  
 est alteratio, nec motus, sed aliud quoddam alterationis genus: erit enim sub generatione hu-  
 iuscemodi mutatio: siquidem perfici, & ad idem accretio est quodam modo eius, quod gene-  
 ratur per mutationem ex potentia materiali ad habitum: quæ fit per doctrinam quandam, & di-  
 sciplinam. aut neque ipsa dicenda est per passionem fieri: quando quidem & ipsa ad habendum actu  
 habitum, & perfectionem ex materiali potentia fit: est enim quodammodo & hæc mutatio ge-  
 neratio: & si huiuscemodi mutationem dicat quis alterationem, eò quòd non sit alicuius for-  
 mæ naturalis assumptio, duos esse alterationis modos opus est dicere: & eam, quæ fit ad ipsos  
 habitus, & naturam, & id, quod est secundum naturam, meliorem scilicet eorum partem, quæ po-  
 test id, quod ad ipsa potentiam habet secundum naturam, & eam quandam, quæ ab ipsis meliori-  
 bus habitibus ad priuatorias dispositiones. Hæc autem cum dixisset, atque distinxisset, transiit ad  
 ipsum sensum: & demonstrauit quæ nam sit prima potentia, & quomodo, & à quo ad habi-  
 tum mutetur huiuscemodi potentia, & quomodo, & à quo ad actum secunda: & dicit muta-  
 tionem, quæ est ex materiali potentia, ad eam, quæ secundum habitum, factam esse ab eo, qui  
 genuit scilicet ipsum animal: quod enim generatur nondum habet habitum sensitium, sed est  
 adhuc potentis habitus receptiuum: cum autem est genitum statim habet habitum sensitium,  
 quemadmodum qui scientiam adeptus est. Cum autem demonstrauisset quomodo uterque mo-  
 dus potentia est in ipso sensu, addidit, quòd & actu sentire similiter dicitur ut speculari, & in-  
 telligere: solum enim hoc differunt sensitua, & intellectiua operatio: est enim extrinsecum, &  
 non in ipso sentiente, & quod auditur ab ipso, & uideretur, eodem autem modo & in aliis. Cu-  
 iusque igitur causam tradidit hanc, quod sensus quidem singularium est apprehensus, in sentien-  
 te uero esse non possunt, sed propriam habent subsistentiam: scientia uero, & intellectus uim  
 habent considerandi uniuersalia: quæ uniuersaliter non habent propriam subsistentiam, sed in  
 ipso sunt discursu quodammodo: addens uerbum, quodammodo: quia subsistentia etiam  
 his, & ipsius esse causa est in singularibus, sed, ut communia, in intelligi habent esse, & esse  
 ipsorum, ut communia sunt, est in intelligente ipsa intellectu: idcirco & intelligere quidem in  
 nobis, sentire uero non in nobis: quoniam ad præsens quidem, & præsentis ipse sensus, non  
 autem in nobis sensibile præsentia, ut, cum uolumus, ipsa habeamus. Quemadmodum au-  
 tem se habent sensus, sic & artes, quæcunque circa sensibilia. non enim in his, quæ hæc habent,  
 est operari, quando uolunt: cum opus sit his adesse illa, circa quæ operantur. Cum autem distu-  
 lisset quod de sensibile, & intelligibile differentia diutius, nunc dicit intelligere quidem  
 ipsum in nobis esse, sentire uero non in nobis. Cum autem quæ dicta, & demonstrata sunt sen-  
 sui accommodasset, tradidit communem rationem ipsius sensus. demonstrauit enim primo, quo-  
 niam, quod est in potentia dupliciter dicitur: aliter enim dicitur puer posse militare, & aliter qui  
 perfectus: hic enim non similiter cum habente habitum, nondum autem operante per ipsum, iux-  
 ta secundum significatum eius, quod in potentia, sentire in potentia, & sensum in potentia dici.  
 De quibus potentiis cum dixisset, quia non est nominata differentia, sed est facta manifesta ra-  
 tione: necesse est autem uti ipso pati, & alterari, ut propriis nominibus mutationis, eius, quæ  
 ex sensu in potentia ad actum, ex quo non habemus alia quædam nomina ipsis propria, acces-  
 sit ad assignandum sensus rationem, & dixit, sensitium potentia esse, quale ipsum sensibile  
 actu iam est: quod patitur quidem ab ipso sensibili, nondum ei simile existens: cum autem  
 passum est, assimilatum est, & est quale illud: passum autem, ut tantundem omnino ualens ac  
 alteratum, dixit. Cum autem tradidisset hanc rationem, non ut propriam existentem ipsius sen-  
 tire, sed ob priorum nominum defectum: ostensum est enim, quod non est eius, quod ita  
 est potentia, ad id, quod est actu mutatio, nec passio, nec alteratio, nec motus: deinceps ad ser-  
 monem de singulo sensu seorsum transgressus est. Capita uero dictorum. Primum sumpsit,  
 quòd sensus in moueri, & pati. Post quod quaesiuit quomodo ipsum pati, an scilicet possit ali-

quid etiam à simili pati. Post quæ, cum dubitasset, quamobrem & ipsa sensoria non sentiantur, cum sint sensibilia, pro solutione dubitationis sumpsit sensum in potentia esse, & ob id indigere ipsum sensibilibus præsentibus ad actum, quæ in ipsum agere possint. Quibus assumpsit, quod dupliciter sensus, hic quidem actu, ille uero potentia. Post quæ dixit dicendum item esse, si nondum determinatum est quo nam differant moueri, & pati ab ipso agere, quando patitur, & mouetur quod mouetur, quoniam & motus dicitur actio quædam esse. Quibus assumpsit, quod omnia patiuntur, & mouentur ab agente actu existente hoc, quod potest passum factum iri: idcirco patiens quidem, quia est dissimile, quoniam omne patiens dissimile est: cum autem passum est, simile est, quoniam in sensu erat & potentia, & actus. Et demonstraui duplex id, quod est in potentia, & quod non omnino ex potentia in actum mutatio est per alterationem. Quibus subiunxit diuisionem ipsius alterari: huius enim declaratiuum est illud, pati: quoddam enim pati per corruptionem fit, quæ fit à contrario: quoddam uero dicitur pati, quod conseruatur, & crescit ad sui perfectionem à sibi simili: est enim quoddam modo similis actus, qui ab habitu, ipsi habitui, à quo generatur: quod pati minime alteratio fuerit. Post quæ demonstraui quod mutatio sensus ex potentia in actum non est eadem hæc ei, quæ per alterationem fit. uerum nec sic patitur sentiens, ut patiebantur, quæ corrumpuntur, sed ut id, quod in se ipsum conuertitur. Et cum distinxisset perfectionem, & dixisset oportere communibus nominibus uti in definitione sensus, quia caremus propriis significatorum: cum prius dixisset quomodo intelligendum sit pati, & alterari in mutatione sensus de potentia in actum, tradidit rationem eius, & dixit, sensum potentia sensitium esse, quale est ipsum sensibile actu, patiens autem ab ipso, & per aliud: at non, ut dixit, priusquam fiat sensus in actu. tradita autem sensus definitio est. Sensitium potentia existens, quale sensibile iam est actu: quod patiens quidem ab ipso nondum simile est, passum uero simile.

*Cur accessus, recessusq; solis non pariter sunt generationis, & corruptionis causæ?  
alius enim generatio alius est corruptio, Caput quartum.*

**S** I C V M accedit sol cominus generatio est, cum uero recedit eminus corruptio: & est alius generatio, alius corruptio, & alius corruptio, alius generatio: quo pacto non recedens perinde, atq; accedens generationis, atq; corruptionis simul, causa est? siquidem etiam oportet quæ generantur ex aliorum quorundam corruptione generari, & quæ corrumpuntur in aliorum generationem mutari: hoc autem pacto nihil utiq; differret eius accessus à recessu. An, si eorum, quæ generantur, hæc quidem sunt principalia, illa uero secunda, & his quæ principaliter generantur contraria, erit, quæ est principalium, proprie generatio, quæ fit sole quibuscunq; accedente: & quoniam quorundam generatio est aliorum corruptio, corrumpentur utiq; quæ his, quæ principaliter generantur, corruptione contraria sunt: corruptio uero principalium, quæ & proprie est corruptio: generatio uero oppositorum his, quæ non est proprie generatio abeunte longius: si secundum naturam generationes fiant, atq; corruptiones, nullaq; obuiet, & obstet causa. Hæc uero irregularitatibus huiuscemodi quandoq; etiam conuerso modo fient: dicitur enim generatio, & corruptio proprie in his, quæ principaliter generantur: hæc uero sunt potiora ex his, quæ per oppositionem ex se inuicem generantur: etenim generationes sunt horum generationes, & corruptiones: quæ cum fiant per annum solis circuitum, accedente quidem, quibus accedit, manifeste generantur, recedente uero corrumpuntur, & occidunt.

*Quod simpliciter ex necessitate generari, & non ex suppositione est in his, quæ circulo semper fiunt. Caput quintum.*

**S** I M P L I C I T E R ex necessitate generari quædam docuit Aristoteles in secundo de Generatione, & Corruptione in solis his uerum esse, quæ circulo generantur, & Diuinorum corporum circumlacionem sequuntur. quoniam enim, quod ex necessitate est semper est: nam quod ex necessitate æterni significatiuum est: & ex necessitate erunt hæc, quæ cum generantur, necessario, & semper generantur: si autem generantur quæ iterum, atq; iterum generantur: hæc uero sunt, quæ orbiculariter redeunt: hæc igitur sunt, quæ ex necessitate generantur. Quod enim nullum eorum, quæ in



quæ in rectum generantur : hæc uero sunt , quæ non rursus , & rursus generantur : quod inquam nullum eorum , quæ hoc modo generantur , ex necessitate generetur , hoc modo demonstrauit . Eorum , quæ in rectum generantur , aut aliquid in infinitum iterum generatur , ut semper ei aliqua fiat additio , & nunquam à generatione cesset , quod perfectum sit , aut sic in infinitum sit , ut aliud ex alio generetur , & nunquam quiescat , aut finem accipit , & cessat quandoque , cum est genitum . At neque in his , quæ in infinitum fiunt in rectum , possibile est ex necessitate simpliciter generari , neque in his , quæ finem habent . idcirco quod ex necessitate generatur , sic generatur , aut quia quod generatur , deinceps æternum manet , aut quia semper generatur : nullum autem eorum , quæ generantur , aut generata sunt possibile est æternum manere , neque in infinitum generatur : omnis enim generatio finita est : & postquam , quod generatum est corruptum est , non reuertitur amplius , neque iterum generatur : huiuscemodi enim erat quod in rectum : quare nullum eorum , quæ in rectum finite generantur , possibile est dicere ex necessitate generari : quæ enim generantur sunt singularia , socrates , plato , hic æquus : hæc non possunt iterum redire , atque iterum generari . si enim aliquod horum ex necessitate generaretur , uerum esset in eis & hoc , si primum , posterius , nunc autem non sic se habet : nam secundum speciem huiuscemodi æterna perseuerant : quod non est id , quod generatur : erat autem quaestio de his , quæ generantur . si autem & homines semper generantur , & nunquam deficiunt , sed in orbem est & horum generatio , quatenus homines utique ex necessitate generabuntur , quatenus hic quidem plato , ille uero socrates . An horum generatio in infinitum in rectum est , alias alio genito , & nunquam in eodem : idcirco in hoc est consequutio recta , ea , si posterius , & primum ex necessitate . Quod autem nec , si in rectum infinita sit generatio , possibile sit aliquid ex necessitate generari , demonstrauit ex eo , quod in his , quæ ex necessitate generantur , uera est non solum consequutio illa , si posterius , & primum : hæc enim etiam in his , quæ contingenter generantur , est uera . in quibus autem posteriorum aliquid simpliciter ex necessitate generatur , in his uerum est & illud , si primum , posterius : cum enim ipsum posterius genitum fuisse sit ex his , quæ ex necessitate : sit autem uerum in omnibus , quæ generantur , si posterius , & primum necesse est fuisse generatum , necessarium in quibus posterius ex necessitate generatur , in his & primum ex necessitate genitum fuisse . At in eo , quod in infinitum generatur , nihil est posterius , de quo uerum erit illud ex necessitate simpliciter futurum : in quibus autem posterius non ex necessitate simpliciter , in his , neque quod ante posterius est possibile est dicere simpliciter ex necessitate futurum : priori enim necessitas à posterioribus , quando illud ex necessitate generaretur . Sed cum nullum sit posterius in illis , quæ hoc pacto generantur : neque utique eorum , quæ prima generantur , aliquod ex necessitate generabitur : sed erit in ipsis uerum necessarium ex suppositione id , si posterius ex necessitate erit , & quod prius ipso . At dubitauerit quis in his , quæ circulo fiunt , & redeunt rursus , sit ne uera consequutio illa , si primum , & posterius . An in his , quæ determinate fiunt ab his , quæ circulo mouentur , uera est huiuscemodi consequutio : si enim solstitia hyberna , & æquinoctium : & si æquinoctium , & æstiuæ solstitia : & si solstitia æstiuæ , æquinoctium : & si hoc , solstitium hybernum . sed & si hyems , & uer : & si uer , æstas : & si æstas , autumnus : & si autumnus hyems iterum . & si in his , quæ primo dicta sunt , est ordo terminatus , & fixus , & nunquam deficiens , nec anticipans : quia horum substantiæ , & ordinis causa sola est primorum corporum motus , cum nihil aliud ad ipsum conferat : ob quod est in his , & tempus determinantes dicere , quando ex necessitate erunt . æstates uero , & autumnus , & hyemes , non item eodem modo habent rem determinatam , & si circulo generentur , sequanturque etiam ipsa æternorum motum : quoniam his materia ad generationem cooperatur , patiens ab illorum motu : quæ quoniam non omnium pariter , quatenus sequitur secundum passiones illorum motus , & circulations , non est eodem modo singularibus terminata . Insuper etiam magis ipsum interminatum in illis , quæ multis sibi cooperantibus ut sint , indigent : quibus annumeratur & animalium generatio : idcirco uerum est in eis uniuersaliter , quod æternum est quod tunc ipsorum secundum speciem : huius enim causa est Diuinorum circulatio . at in generatione singularium , in quibus maximam uim habet proximorum agentium causa , in his minime uerum illud , si primum , ex necessitate posterius : sed illud uerum , si posterius , ex necessitate & quod est ante ipsum .

Expositio textus ex tertio de Anima Aristotelis, per quem demonstrauit plures  
 quinq; non esse sensus. Caput sextum.

” **S** I ENIM omnis, cuius est sensus tactus, & nunc habemus sensum: omnes  
 ” enim tangibilis, qua tangibile, passiones tactu nobis sensibiles sunt: necesseq; si/  
 ” quidem deficit aliquis sensus, & sensorium aliquod nobis deficere: & quæcunq;  
 ” quidem ipsi tangentes sentimus, tactu sensibilia sunt, quem habemus: quæcunq;  
 ” uero per media, & non ipsa tangentes simplicibus, dico autem, ut aëre, & aqua.  
 ” usq; ibi. quare si non est aliquod aliud corpus, & passio, quod nullius sit eorum corporum,  
 ” quæ sunt hic, nullus porro deficient sensus. Videtur mihi intellectus eius, quod dicitur, conse/  
 ” renti proprias propositiones rationum, huiuscemodi esse. quorum habemus sensoria, horum  
 ” quoq; omnium sensum habemus: si aliquorum non habemus sensum, hæc non sentimus, eò  
 ” quòd sensoria ipsorum non habemus. dixit autem ex omnibus, quorum habemus, per illud, si  
 ” enim omnis, cuius est sensus tactus, & nunc habemus sensum: omnes enim tangibilis passiones,  
 ” quatenus tangibile est, tactu nobis sensibiles sunt. cum enim de sensu tactus dixisset, prætermisit  
 ” hoc in aliis sensoriis, & sensibus addere: qui si omnes sumpti fuerint, fit uniuersale illud, quo/  
 ” rum habemus sensoria, horum omnium etiam sensum habemus. illud autem, si quorum non  
 ” habemus sensum, hæc ipsa, quia caremus sensoriis, non sentimus, dixit rursus per illud, neces/  
 ” se est, si quidem nobis aliquis sensus deficit, & sensorium aliquod nobis deficere: quia conne/  
 ” xum potentia assumit oppositum eius, quod subiicitur consequenti, illud scilicet, atqui nul/  
 ” lum nobis sensorium deest: quo demonstrato, sequitur nec sensum nobis aliquem deficere. Di/  
 ” xi uero potentia, quia non aperte hoc assumit: sed cum sumpsisset quæ habemus sensoria, &  
 ” monsttrauisset plura his sensoria esse non posse, ostendit quòd nullum nobis sensorium deest.  
 ” sumit autem quos habemus sensus per hæc, & quæcunq; quidem ipsi tangentes sentimus, ta/  
 ” ctu nobis sensibilia sunt, quem habemus: quæcunq; uero per media, & non ipsa tangentes sim/  
 ” plicibus, dico autem ut aëre, & aqua: per hæc enim quòd tactuum habemus sensorium sum/  
 ” psit: & ad hæc, quòd quæ sentimus per aliquod medium, per simplicia corpora horum sen/  
 ” sus fit, ex quibus habemus sensoria, ex aëre, & aqua. Quibus, cum esset consequens ostende/  
 ” re quòd ex duobus his tantum inter simplicia corpora possunt esse sensoria: ex igne uero, & ter/  
 ” ra non potest esse sensorium: nam hoc demonstrato, demonstratum quoq; est nullum nobis de/  
 ” esse sensorium: ipse uero hoc quidem posterius demonstrat, prius autem accipit tria esse senso/  
 ” ria, tactum, & illa, quæ ex simplicibus, & quod ex aqua, & quod ex aëre: plures autem sunt  
 ” sensibilibus species, si quidem quædam uisibilia sunt, quædam audibilia, quædam odorabilia,  
 ” quædam gustabilia, quædam tangibilia: quod neq; paria numero sint sensoria sensibilibus de/  
 ” monstrat per illud, sic autem se habet, ut si quidem per unum plura sensibilia genere inter se di/  
 ” uersa percipiuntur, necesse est hoc habentem sensorium utrorunq; esse sensituum: ex hoc enim  
 ” id percipere possumus, quòd si sint quædam, quæ differentia inter se genere sensibilia per  
 ” unum aliquod sensorium sensibilia fiant, necesse est habentem hoc unum sensorium utraq; di/  
 ” uersa genere sensibilia sentire. non enim, quia duo sunt etiam genere diuersa sensibilia, audibi/  
 ” lia, & odorabilia, opus est & ipsorum instrumenta, per quæ sensibilia sunt diuersa esse, per aë/  
 ” rem enim ambo præcipiuntur: quare, qui hunc habet, utraq; per hunc percipiet. rursus quoq;  
 ” si plura sint sensoria, per quæ possibile sit unum sentire, ut uidentur se habere odorabilia: ho/  
 ” rum enim uidetur & per aquam, & per aërem sensus fieri: per aquam enim aquatilia, per aë/  
 ” rem uero respirantia uidentur odorem percipere, quoniam horum sunt omnia: horum sen/  
 ” sorialium alterum solum habentia ipsa percipient: non enim oportet eum utraq; habere, qui o/  
 ” dorem est sensurus. Hæc cum sumpsisset, & per ipsa destruxisset necessitatem ponendi quinq;  
 ” sensoria: quoniam tot sunt sensibilibus differentiæ generales: consequenter ostendit non pos/  
 ” se esse sensorium ex aliquo alio simplicium corporum, præter quàm ex aëre, & aqua: quorum  
 ” pupillam quidem, qua uisibilia sentimus, habemus ex aqua, auditum uero ex aëre, olfactum  
 ” autem nos quidem, & non aquatilia ex aëre, aquatilia uero ex aqua: nec enim ex igne potest  
 ” esse sensorium, ut in de sensu, & sensibilibus demonstrabit: nec ex terra sola. quod si hoc, im/  
 ” possibile est aliud aliquod esse sensorium præter hæc: hæc autem habent perfecta animalia: nul/  
 ” lum deest sensorium quinq; sensus habentibus, quare nec sensus: nullum enim simplex præter



quatuor potest passibile esse corpus, ut ex illo possit aliquod esse sensorium: necesse est enim sensorium pati aliquid ab ipso sensibili, idcircoq; & ex passibili corpore constare: at quintum corpus ostensum est impassibile esse.

*Alius textus expositio ex tertio de Anima, quo quærit, quomodo consensus nobis sentientibus fit. Caput septimum.*



**Q**UONIAM autem sentimus quod uidemus, & audimus, necesse est aut uisu sentire quod uidet, aut altero. Quærit quomodo consensus in nobis fit, quando sentimus aliqua, & aliquo, & sentimus nos ipsos sentientes: cuius enim sentienti aliquid cum apprehensione huius, quod sentit, fit quidam consensus: & huius quod sentit, ipse porrò consensus: fit ne nobis per eundem sensum, quo & ipsius sensibilis apprehensio: ita ut uisu uideamus ipsa uisibilia, & sentiamus nos ipsos uidentes: aut uisu quidem uisibilia sentimus, alio autem quodam uidere ipsum? Et quod quidem non alio demonstrauit per id, quod plures erunt eiusdem sensibilis sensus. si enim erit alius quis, quo uisionem sentimus, & non idem uisus, quo uidemus, sensus sentiens uisionem, simul & colores sentiet: nam qui actionem, quæ circa sensibilia fit, sentit, sentiet & hæc, circa quæ & ipsa uidendi actio: sunt autem hæc colores ipsi: nam nil aliud est uidere, quàm uisu agere circa uisibilia: quare uidendi sensus sensus est actionis circa uisibilia uersantis à sensu uisuo: impossibile est autem ipsum circa hæc sensisse actionem, nisi & hæc ipsa sentiat, circa quæ uersatur actio: sed si hoc, erunt sensibilia plures sensus, ii, qui hæc ipsa sensibilia principaliter sentiunt, & qui actiones sensuum circa ipsa sensibilia sentiunt: hoc autem est absurdum propria cuius sensui sensibilia pluribus sensibus sensibilia esse dicere. Præterea si alius quidem est, qui sentit, alius uero, quo sentimus nos ipsos sentientes, in infinitum abibit: nam & ipsius uidendi sensus erit rursus consensus nobis per quendam alium sensum, & ille rursus alium quendam habebit sentientem hunc ipsum, quem sentiens ipse consensum facit, & hoc in infinitum: absurdissimum autem hoc: derelinquitur eodem nos sentire sensibilia, & actionem circa ipsorum sensibilia. Sed si est operatio ipsius uisus potentia uidere, percipiet uisus ipsos colores, & ipsum uidere: at si necesse est esse coloratum, quod percipit sensus uisus, & ipsa uisio, si uisibilis est, colorata erit. Primam soluens dubitationem, primum quidem usus est hoc, uisum non solum colorum, aut coloratorum esse sensitium, sed etiam priuationis ipsorum: ostensum est enim omnem sensum etiam sensibilem priuationem eundem sentire: uisu quippe ipso lumen sentimus, & tenebram. Secundum sumpsit, quod & ipsum uidere coloratum quodammodo est: cum scilicet uidere ipsum fiat, cum sensorium speciem sensibilis absq; subiecta illi materia receperit. cuius signum addidit, sæpe abeuntibus uisibilibus in ipsis sensibus permanere quasdam ipsorum sensationes, & apparentias. Hæc cum dixisset ad solutionem dubitatorum, quibus deinceps usus est ad solutionem dubitationis, quod fit, & quomodo fit demonstrat. dicit sensibilis rei actum, & ipsius sensus unum esse, ratione solum differentes: quia esse ipsi sensui in actu est, in habendo formam ipsius sensibilis sine materia: sensibili uero in actu, in haberi formam eius sine materia. si enim est motus, qui à mouente fit, qui est in eo, quod mouetur, & passio, quæ fit ab agente in agente, & patiente, necesse est & motum, qui fit ab ipso sensibili, & passionem, quæ fit ab ipso, factam in sensu, in potentia facere sensum in actu. nam ut actio, & passio est in patiente, & non in agente: esset enim agens patiens, idemq; agere & pati, ut demonstrauit in physico auditu, sic & actus sensibilis, & maxime sensitui. Cum autem hæc in hunc modum se habeant: & sensus in actu fiat sensibilem formarum receptione absq; materia, fiet in nobis merito, unà cum sensatione sensibilem, & consensus ipsius sentiendi secundum eundem sensum: ex re ceptione enim speciei à sensibilibus extrinsecus existentibus illorum apprehensio: ex eo uero quod habeat in se sensus speciem sensibilem, & ob id ipsum etiam hanc quodammodo sentiat, consensus: si enim uisio per formæ ipsius sensibilis receptionem fit: similis autem & de aliis sensibus est sermo: speciem accipiens uidet, & seipsam simul uidentem uidens fit. Fit itaq; ipsius sensationis consensus, quando sensus simul cum sensibili propriam etiam circa sensibile percipit actionem: idcirco ex necessitate sequitur ad quemlibet sentientem unà etiam

seipsum sentientem sentire: cum sequatur ad sensum sensibilem ali-

quod exteriorum sentientem unà & seipsum sentire.

Alex. Aphro. Quæ.

G ii

*An sensibile, quod ab omnibus sensibus per accidens sensibile. Caput octauum.*



**S**I A B V N O sensu per accidens sensibile est, quod habet aliquod proprium ab hoc sensu sensibile, sibi ipsi accidens; nam ex apprehensione sensibilis, fit & ea illius, quod per accidens; sic enim uisus percipit dulce, quia pallido accidit esse dulce, & mel: si quis dicat, quod ab omnibus sensibus, per accidens esse sensibile, hic dicet id, quod omnibus sensibus per accidens dicit esse sensibile, habere quendam huiusmodi accidentia, quorum quoddam tactu per se, quoddam gustu, quoddam auditu, quoddam odoratu, quoddam uisu sensibile est: quare erit per accidens omnibus sensibile: eò quòd, cum sit aliquid omnibus per se sensibile, in hoc ipso esse ipsum omnibus per accidens sensibile: cum unusquisque ipsorum per proprium eius sensibile ipsum sentit. non enim quod omnibus per accidens sensibile, nullo modo sensibile est, ut posset uideri simpliciter intelligenti: quod enim à nullo sensu sensibile, insensibile. at non sunt idem, omnibus insensibile, & omnibus per accidens sensibile: quia omnibus per accidens sensibile huiusmodi est, quod ab omnibus sensibus sensibilibus subiicitur: eo enim, quòd accidentia huius sensibilia omnibus sunt, ipsum uero non, hoc fit omnibus per accidens sensibile.

*Expositio textus ex Tertio de Anima, quo demonstrat Aristoteles, quod est aliquid, quo simul omnia sentimus. Caput nonum.*



» **E**R G O ne simul quidem, & numero indiuisibile, & inseparabile est ipsum iudicans, ipso uero esse separatum? Est quidem sanè quodammodo, ut diuisibile distincta sentit, est autem ut indiuisibile: ipso enim esse est diuisibile, loco uero, & numero indiuisibile. An non est possibile: potentia enim idem diuisibile, & indiuisibile, & contraria, ipso uero esse minime, sed in operando diuisibile: & non potest simul album & nigrum esse: quare nec species pati ipsorum, si huiusmodi est sensus, & intellectus. sed quemadmodum, quod uocant quidam punctum ut unum, & ut duo, hac & diuisibilis. ut igitur indiuisibile, unum est ipsum iudicans, & simul: ut uero est diuisibile, non unum, bis enim eodem utitur puncto simul. ut igitur duobus utitur termino, duo iudicat, & separata sunt, ut separato: ut uero unum, uno, & simul. Cum accepisset quòd unusquisque sensus in sensorio existens, in quo existens sentit, & sensibilia ipsi sentit, & iudicat ipsorum inter se differentias, albi enim, & nigri uisus, dulcis uero, & amari gustus, & similiter aliorum sensuum unusquisque: & per hoc statuisset, quòd sensus aliqua sentiens etiam ipsorum differentias iudicat: non enim alterius est sentire quaedam, alterius uero ipsorum differentias iudicare, per quas sunt sensibilia: sed sentiens quaedam etiam ipsa iudicat, & ipsorum differentias iudicans ipsa quoque sentit: idem enim est iudicare ipsi sentire: ob hoc enim & ipse sensus iudicium quoddam esse uidetur: cum inuenisset aliquid non solum contrariorum inter se sensibilibus differentias iudicans, sed etiam omnium sensibilibus: secernimus enim uisibilibus differentias ab his, quæ gustabilium, pariter autem & audibilibus, quin & ab his, quæ odorabilium, & tangibilium: primum quidem sumpsit, quòd sensu hæc iudicamus, sensibilia enim sunt, & de ipsis, ut sensibilibus, iudicium facimus. Post quod demonstrauit non posse iudicare differentias sensibilibus ipsas non sentiens, non existensque unum & idem: non enim potest non sentiens omnia, iudicare ipsorum inter se differentias: si enim illud quidem aliud, hoc uero aliud sentiret, neutrum ipsorum posset cognoscere quo inter se differant ea ipsa, quæ sentiunt: etenim nec in aliquo alio est sensui iudicare, quàm in ipso sentire. Cum autem sumpsisset ex his unum esse, quod omnia sensibilia sentit, & iudicat ipsorum differentias, consequenter ostendit, quòd in eodem tempore, & simul ipsa sentit, quando iudicat ipsorum differentias: siquidem quando iudicat ipsas, tunc sentit: iudicat autem simul ipsorum inter se differentias: igitur & simul sentiet quæ iudicantur: nam in ipso sentire sensui est ipsum iudicare. Hæc cum sumpsisset, & unum esse sensum, quo sentimus omnia, & simul hæc sentire sensum, quorum simul iudicat differentias, super his dubitauit: quoniam actu sentire est formam sensibilis sine materia sumere: quo pacto possibile est aliquid unum existens plura simul, & contraria sentire. si enim hoc, oportebit idem simul contrarias formas, passionesque recipere, albedinem, & nigredinem, quando has sentit, & iudicat, dulcedinem & amaritudinem, eodem modo alia, atqui impossibile est con-



trariis simul motibus idem moueri, quod ad albedinem simul & nigredinem mutatur, & contraria recipit. Hæc cum demonstrauiſſet, & dubitauiſſet, ſoluens dubitationem ſumpſit illud, ſimul quidem iudicans iudicare, & ſentire plura, unum exiſtens, & non diuiſum, ratione ſeparatum, ut unum exiſtens, per aliam quidem potentiam huius eſſe receptiuum, per aliam uero eius contrarii, aut differentis: ut indiuiſibile exiſtens loco & numero, hoc eſt ſubiecto: loco enim indiuiſibile quod eſt unum in loco: huiusmodi autem eſt continuum, & non diuiſum, quod & unum eſt numero. Cum autem dixiſſet hoc pro ſolutione dubitati, ſubiunxit. An impoſſibile eſt: oſtendens, quod non ſoluitur per hoc dubitatum. poteſt enim aliquod, unum numero exiſtens, ratione diſſerre, eò quod habeat potentias diuerſas, quibus eſt contrariorum receptiuum: non ita tamen contrariorum potentias habeat, ut ſimul ipſa recipere poſſit: quod enim habet contrariorum potentias, non ita ipſas habere poteſt, ut ſimul ipſarum etiam actus recipiat: neceſſe eſt enim per ipſos actus ipſum diuidi, ut in alio quidem tempore unum ipſorum fiat, in alio uero alterum. at ſensus ſimul ipſorum differentias iudicabat, ut ſimul ipſa ſentens, & ſpecies recipiens: ſiquidem ſentire eſt in formarum ſenſibilium receptione. quoniam autem & intellectio uidetur receptione formæ, quæ intelligitur generari, propter hoc illud dixit, ſi huiusmodi ſunt ſenſatio, & intellectio. Cum autem hæc dixiſſet, & monſtrauiſſet manere adhuc dubitamam difficultatem, utpote, quæ per prædicta ſolui non poſſit, ſubiunxit, ſed quemadmodum, quod uocant quidam punctum, ut unum, & ut duo, hæc & diuiſibilis, & alia ad hæc. quæ uerba obſcure maxime, & compendioſe dicta huiusmodi quid ſignificare uolunt, huiusmodi eſſe id, quo ſenſibilia animalia ſentiunt, ut poſſit ſimul quidem unum, ſimul quoque plura eſſe: ita ut & ipſum punctum, quando ut multarum linearum terminus ſumptum fuerit: quæ enim à circumferentia circuli ad centrum ducuntur rectæ, terminum habent omnes ipſum circuli centrum, unum punctum: quod punctum, cum ſit unum, etiam quodammodo eſt plura, quando, ut cuiuſque ad ipſum ductarum linearum terminus ſumatur. ſi enim aliquid huiusmodi ſensus fuerit, ut quidem unum aliquid, & indiuiſibile eſt, unum erit ipſum iudicans: ſed & ſimul iudicat quæ ſunt in terminis linearum, eò quod omnes termini ſimul ſunt, & unum quid, quatenus uero, ut huius, & huius terminus ſumitur, & tot ſumitur, quot & rectæ, multa & ſecundum hoc ruruſ. quatenus igitur multi ſunt termini, & differentium linearum, multa erunt quæ iudicantur, & ſeparata, & differentia: & modo quodam nondum ſeparata, quatenus centrum ipſum multa quodammodo eſt, quorum ſingulum uim habet iudicandi paſſionem, quæ eſt in propria linea. quatenus autem unum eſt, quod ex omnibus eſt indiſſerens, & ex omni parte idem, idem erit, & unum, quod iudicat, & ſimul iudicat. & quod ad ſolutionem dubitatorum dictum eſt huiusmodi eſt. At quid huiusmodi accipiendum ſit in ipſo ſenſu, ut unum ſimul, & multa ſit, perinde atque circuli centrum, quod, ut multarum rectarum terminus, ſumptum eſt, non facile eſt inuenire. corpus enim eſt extremum ſenſorium, in quo fiunt ſenſibilium paſſiones: & impoſſibile eſt à quinque ſenſoriis paſſiones tranſmiſſas ad idem tanquam per lineas in eandem partem corporis ingredi: fierent enim ruruſ in eodem contrariæ paſſiones, atque contrarii motus: ſiquidem per huiusmodi motum ſit ſensus actu. neque enim, quæ ab uno ſenſorio tranſmittuntur ad ipſum paſſiones poſſunt in eadem particula eius fieri, ut ſi contrariorum quidem eadem ſenſoria: impoſſibile tamen in eodem ſenſorio ſecundum eandem partem ſimul à contrariis paſſiones fieri. quando enim aſpicimus ſimul album & nigrum, quibus pupillæ partibus utriuſque ipſorum ſimulachrum gignitur, ut uidemus fieri & in ſpeculis, neque id, in quod hæc tranſmittuntur, hoc uero eſt, ut dixi ultimum ſenſorium, ita poſſunt tranſmitti, ut non in ſeparatis eius partibus gignantur. quare in corpore accipere aliquid effigiei puncti, & linearum ſimile, quarum terminus eſt punctum, impoſſibile. Sed forte accommodari poſſet magis potentia corporis illius, quod dicimus ultimum ſenſorium: cuius ſenſitiua potentia forma eſt: quæ potentia ſentit, & iudicat ea, quæ in corpore, cuius eſt potentia, & forma, facta per tranſmiſſionem à ſenſoriis. hæc enim potentia una exiſtens, & tanquam terminus corporis huius, cuius eſt potentia, quoniam ad hoc ultimum feruntur motus, incorporeaque exiſtens, & indiuiſibilis, & ex omni parte ſimilis, cum una ſit, multæ quodam modo fiunt: eò quod unaquæque corporis pars, cuius potentia eſt, æque ſentit motum, ſiue ſecundum unam partem motus in ipſo fiat, ſiue etiam in pluribus: nam in iudicatione plurimum multæ quodam modo potentia una ſit, quando, ut cuiuſque particulae proprius terminus

fumitur . corpus enim non poterat simul secundum idem plures recipere passiones : quia impossibile est contraria in eodem fieri : simulq; & secundum idem contrariae sunt forma albi, & nigri: idcirco nullum corpus possibile est simul hæc recipere . at in alia quidem illius sensorii particula quaedam sensibilia simul concidentium fiunt , quaedam autem in alia , eorum , quæ ab ipsis primis sensoriis feruntur in eundem locum . ipsa uero potentia sensitua non item prohibetur simul iudicium de ipsis facere : quia non sunt idem iudicare , & pati : pati enim aliquid idem simul contraria non potest : quia non potest simul aliquid contraria recipere , contraria enim simul existere non possunt : at simul contraria iudicandi nihil habet impotentiam : quoniam non sunt in iudicio contraria , album iudicare album , & nigrum nigrum . nam quemadmodum in ipso pati contrarium est contraria pati secundum eandem partem , & in eodem tempore , & ob id in ipso pati hoc impossibile est , ita in iudicio rursus impossibile est album simul quidem album , simul quoq; nigrum esse existimare . idcirco rursus in iudicio , quod hoc modo simul esse non potest , & nigrum quidem dicere nigrum : album uero album non est impossibile , quia nec contrarium : si enim essent , necesse etiam in potentia iudicante sensibilia primum intus fuisse generas sensibilia formas : nec illa porrò iudicaret , in qua contraria , quia non potest simul aliquid contraria recepisse . Sed quia in sensorio passiones fiunt : iudicium uero eorum , quæ in hoc ipso fiunt , in potentia : non enim potest hoc item , cum incorporeum sit , corporeas recipere passiones : non impedita est ea , quæ in sensorio fiunt secundum aliam , & aliam partem simul iudicare eiusdem uniuersi potentia . sensus enim est potentia sensitua iudicium de sensibilibus per passiones ab ipsis in sensorio genitas . Fit autem hoc modo una , & eadem potentia quodam modo multæ , simul facta : quoniam de his passionibus , quæ fiunt in singulis sensorii partibus , simul fert iudicium sensituum . potentia enim iudicans passionem , quæ fit in una aliqua sensorii parte , eadem & eas iudicat , quæ in omnibus particulis fiunt . simul quoq; passiones in eo factas iudicat : cum eadem , & una , & multæ quodammodo fiat , per partium sensorii , quatenus patitur , diuisionem : ut & punctum , cum esset unum , fiebat multa , secundum linearum multitudinem diuisum , cum esset uniuscuiusq; terminus .

## De Mari ex Meteorologicis.

## Caput decimum .



**C**V M proposuisset in Secundo Meteorologicorum dicere de mari , quæ sit eius natura , & ob quam causam falsa est tanta aquæ multitudo : primum de ipso ante iactas opiniones in medium attulit , ex quibus , ea quidem , quæ Theologorum fontes proprios dicebat habere ipsum . Naturalium uero , alii quidem ipsum dicebant esse genitum ex multa humiditate , quæ est circa terram , à solis motu , & caliditate eleuata , hac autem derelicta , quam uocamus mare . Alii uero dicunt , quando calefit terra à motu solis sudorem excerni , aquam hanc , quæ uocatur mare : ob hoc enim & aquam falsam esse , quia & sudor . Alii autem falsedinis terram , & huius qualitatem causam faciunt : aqua enim per ipsam fluens huiusmodi accipit sapores , quales habeat & ipsa terra , per quam transit , & colatur . Post quæ cum demonstrauisset non habere proprios fontes ipsum mare : eò quòd fontium aqua omnis , siquidem spontanea sit , defluit à fontibus , à quibus ortum habet , & loco abit : quæcunq; uero non defluit , manu facta est , & non sui natura : huiusmodi enim sunt putei . at ipsum mare , nec ex his , quæ manu fiunt , nec ex his , quæ feruntur , & loco abeunt . in mari enim motus , & retrocessiones quædam fiunt eadem aqua refluenta : quod in toto mari fieri manifestum nobis fit in angustis locis , eò quòd iuxta terram in huiusmodi locis manifestus fit eius refluxus . si uero fit aliquis eius motus , cum ab altioribus ad depressiora fertur , non est à propriis fontibus , sed ex fluminum infusione , qui ab altioribus defluunt , à quibus habent fontes : ut huiusmodi motus à fontibus quidem initium habeat , sed non à fontibus ipsius maris , sed à fluminibus in ipsum defluentibus . Post quod demonstrauit non esse ipsum mare initium aquæ , & quartum elementum , quod quidam putantes dicebant non solum flumina ad mare accedere , sed etiam à mari : dulcedinem uero aquam habere , quia ipsa per terram colata fertur . Post quæ cum demonstrasset , quòd non est aqua propter terram falsa , sui natura , causam falsedinis , quæ sic dicitur , tradidit : quòd aquæ , quæ est terræ circumposita , & extensa circa terram , tenuissima , & dulcissima pars sursum ducitur , & in uaporem conuertitur singulis diebus à motu solis : cumq; euaporat , quia leuior est , & purior , supernatat : cumq; hæc



continue sursum ducatur, & rursus immutetur, & deferatur, pars salina derelinquitur in proprio loco aquae propter gravitatem. Post quae, cum dubitasset unde sit principium, & causa falsedinis, quae est in aqua, & mari, demonstravit aquam omnem, quae sit salina, non ex huiusmodi per mixturem alicuius fieri. nam & collectionem in animalibus, quae est in vesica, ob hunc saporem esse huiusmodi: videtur enim ei commissum esse quid terreum: quod apertum fit, cum residet in ipso. sed & sudor habet quid sibi huiusmodi commissum, quod accipit imbibita aqua à corpore per ipsum colata, & veluti ipsum lavans, & expurgans. huiusmodi etiam est & quae per cinerem colatur. Est autem quod miscetur his & eiusdem proprietatis causa, quodcumque inconcoctum in corporibus manet: quod non potuit à concoquente ipsum caliditate immutari: huiusmodi enim est sudor, & urina, & quod per cinerem colatur: etenim cinis est id terreum, quod ab igne superari non potuit, & in ipsum immutari: sed est particula ustae materiae, quae permansit inconcocta. Quae cum astruxisset, sumpsit quod necesse est aliquid esse huiusmodi, & quod, cum aquae miscetur, facit ex seipso mare. Cum autem dixisset oportere esse aliquod excrementum inconcoctum, cuius mixtio cum aqua eius falsedinis causa sit: cum ostendisset quodnam sit hoc, sumpsit illud, quemadmodum in corporibus animalium in alimentis, & immutationibus inconcocta quaedam excrementa fiunt, veluti in mixture cum aqua fiunt quaedam & salina sedimina in eis, & amara: sic itaque & cuicumque ab omnibus, quae nascuntur, & fiunt, oportet putare huiusmodi quoddam inconcoctum sedimen fieri, & plenam terram ipsam huiusmodi commisto sicco, & inconcocto excremento, perinde ac cinere: quod in exhalationibus, quae à sole fiunt ab aqua, & terra per mixtum, velut leuius existens, in concretionibus nubium in aquam, & immutationibus permixtum, simulque delatum semper esse principium, & causam qualitatis ipsius aquae maris: cuius excrementi in exhalationibus, quae à mari, fiunt maxima pars subsidet: esse enim aliquid, & quod unà cum aqua sursum fertur, & mutatur in dulce in coctione, & immutatione, quae fit ex nubibus: hanc vero partem subsidentem falsedinis maritimae aquae causam esse. Quod vero cum aqua, quae pluit, huiusmodi quoddam deferatur excrementum, demonstravit ex hoc, quod aquae australes sunt maxime uberes, eo quod & auster ab illis partibus generationem habeat, in quibus copiosior fit exhalatio sicca. uberiores quoque sunt aquae primae autumnales, cum necesse sit gravissimas primum deferri, gravissimaeque sint, quae in ipsis maximam habent partem terream. Quod vero huiusmodi excrementum sit multum in mari probavit etiam ex hoc, quia calidum est ipsum mare: omnia enim, quae ignita fuerunt, potentiam habent quandam caliditatis in seipsis, quemadmodum & calx, & cinis, & animalium sedimen: & animalium ventre calidiorum calidius quoque sedimen. Probavit quoque falsam fieri aquam per mixturem cuiusdam eiusmodi excrementi: & ex historia addens stagna, & flumina: quae cum sunt salina, accidit & aquam densiorem esse, & magis terream: ita ut & ipsa non permittat propter crassitiam descendere in seipsa ea, quae naturam habent, ut posita in aqua deorsum ferantur. calefactas quoque propter densitatem sales facere.

*Argumentatio quod positione nomina. Caput undecimum.*

**S**I NOMINVM impositivum sumus natura, & hoc à natura habemus, quod possimus nominare, & nomina rebus imponere, perspicuum nomina positione esse: positione enim nos ponimus: non enim possemus nos, si nomen cuiusque rerum natura esset, ipsis ea imponere. nam, quemadmodum habentes vim recipiendi scientiam natura, non habemus scientias natura: sed vis quidem scientiae receptiva ab illa in nobis est, non tamen & scientiae ab illa sunt: non enim essemus scientiarum receptivi: sed illas habentes, & scientes sumus: ita & vis impositiva nominum ab illa est, non tamen & nomina ipsa: non enim amplius essemus domini impositionis illorum: quibus enim est moveri natura, his non est naturale, ut à nobis imponantur. si autem non esset rebus naturale, ut ipsis à nobis nomina imponerentur, nec utique nobis naturale esset ipsis nomina imponere: non enim est idem posuisse nomen, & dicere quod positum est. Opus etiam esset, si ponerentur natura nomina, & dicentes omnes dicere eadem. Praeterea, si essent natura nomina, oporteret & elementa, quibus ordinantur, natura esse: nulla enim est alia differentia eorum, quae differunt secundum ipsas gentes in eisdem rebus praeter elementorum, & syllabarum certam quandam compositionem. hoc vero sufficienter comprobant & aequivocationes, & multiuocationes, & nominum mutationes.



## Non esse infinitum ipsum ens . Caput duodecimum .



**R**A T I O, quæ uult ostendere infinitum esse ipsum ens ex eo, quòd suppositus quis esse in mundi extremo, aut extendet manum extra mundum, aut quòd sanè impedietur, utroq; autem modo futurum aliquid extra mundum: nam, aut ipsum impediens extra est, aut in quo erit id, quod extenditur: probabilitatem habet ex imaginatione, & sensu: quemadmodum, & quæ dicit omne finitum fine finitum esse: ambarum enim probabilitas est ex sensu. nam ob id, quòd nos, cum oppositum imaginari non possimus, interrogantibus, nihil ipsis ex sensu habeamus exhibere, his inest probabilitas, quæ rationi contra testatur: nulli enim huiusmodi rei finitæ occurrimus, ultra quam nihil sit: eiusmodi enim sunt omnia, quæ ut partes finita sunt, quæ sola sentimus: neq; aliquid nobis occurrit huiusmodi, extra quod nihil esse possit: omnia enim, quorum singulum sentimus. Idcirco oportet instantes ad huiusmodi rationes, non ex sensibus tentare afferre testimonium, extra quos sunt, quæ quæruntur: sed à substantia rerum tentare ferre instantias: assumentes hoc in eis manifestum, non posse omnia eadem inesse parti, & toti, & uniuerso, & singulis eius partibus. Idcirco neq; quærere oportere testimonia ab ipsis sensibus de partibus, quibus sunt assueti, & transferre ad uniuersum: quod, cum sit extra omnem sensum, præter id, quòd à nulla apparentia sensitua adiuuatur, etiam multis ipsarum aduersatur. neq; enim in aliquo differret uniuersum à parte, si quemadmodum extra singulas eius partes aliquid est, ita utiq; & extra illud. quare secundum rationem quidem est esse aliquid, & uniuersum, cuius alia omnia sunt partes: sensus autem, si nullum eiusmodi percipere potest, non ob sensum ab his, quæ ratione ponuntur, discedendum. neq; enim in aliis ita facimus, quia nec sensibilia sola esse dicimus, neq; quia utimur in multis ad probationes eorum, quæ quæruntur, sensuum testimoniiis ob familiaritatem cum illis, & consuetudinem. si autem his solis, ut ueritatis mensura uti opus esset, nihil à brutis in cognitione ueritatis differremus: sufficit enim eis propriorum ueritas sensibilibus. at absurdum est, quæ sensuum propria non sunt, omnem eorum ueritatem ex sensuum testimonio pendere dicere. Quòd igitur rationi consonum sit esse aliquid, & uniuersum, cuius partes sunt, quas sentimus, & quot horum principia, & causæ, satis comprobant totum, & pars, quæ mutuo referuntur: nam & pars alicuius totius pars, & totum partibus huiusmodi est: siquidem est totum, à quo nulla partium abest. quare si partes singulares, & sensibiles sunt, & totum cuius hæ partes: partes enim alicuius totius partes: absurdum est uniuersum, quod ut pars dicitur ad aliquod totum relationem habere. idcirco neq; si ut partis partes dicantur, quæ primæ sumptæ sunt, necesse est & illa, quorum pars est, alicuius alterius pars esse, cuius, nisi totum aliquod fuerit, & hæc esse partes omnino tolletur. sed si necesse est aliquod esse totum, erit uniuersum, ad quod relationem habet quod est, & dicitur ut pars: est autem idem totum, & uniuersum, siquidem utrunq; eorum definitur eo, quòd est nullam ab ipso partium abesse: erit porro, cum huiusmodi quid sit, finitum: siquidem finitum est, à quo nulla partium abest. uniuersum uero huiusmodi est: neq; enim aliud quid extra ipsum erit finiens, finitumq;: neq; extendere quis poterit ad aliquid eorum, quæ sunt ultra ipsum, id, cuius ipse imperium habet: non enim fuerit amplius uniuersum, & totum, extra quod est aliquod ens. est autem aliquod ens extra id, quod terminatur ad aliud quid, & quod aliquid post se derelinquit: siquidem sagitta percutere, aut extendere poterit quis aliquam ipsius partium, aut eorum, quæ ab ipso dominantur. Satis quoq; hoc idem comprobat & illud, quòd principia entium finita sunt. si enim infinita, nulla erit ipsorum cognitio: si autem nulla sit horum, neq; alicuius eorum, quæ ex ipsis fiunt: siquidem omnis scientia ex principiorum rei scibilis cognitione procedit. Sequitur quoq; si sint infinita principia, & nihil eorum, quæ fiunt ordinate fieri: quis enim posset esse infinitorum ordo? quæ præterea in infinitis ordinis causa? neq; enim natura in eis haberet aliquem locum, cuius est proprium gratia alicuius omnia fieri, quæ per ipsam fiunt ut in pluribus: quod nequit in rebus ordinem non recipientibus fieri. cur enim magis in infinitis hoc ante hoc: & hoc quidem prius, illud uero posterius, sine quo, quod alicuius gratia fit, impossibile est factum iri. quo enim pacto homo, aut equus, aut aliquod eorum, quæ natura fiunt, generabitur, si sublatum fuerit, eorum quæ ad hæc conferunt, illud quidem esse primum, hoc uero secundum: & hominem quidem ex homine, æquum uero ex æquo generari



nerari secundum naturam, si infinita sint principia, & ordinem non recipientia: quid enim infinita ordinabit? si autem necesse est fortuna, & casu infinitionem regi, cum non uideantur hoc modo fieri quæ fiunt: quæ enim, aut eodem modo semper, aut ut plurimum fiunt, procul à prædictis causis semota sunt: sic autem conspiciuntur ea, quæ natura fiunt: auferetur porrò & principiorum, & entium infinitio, si impossibile est infinitum esse infinito maius. Sed iuxta has opiniones infinita principia esse ponentium, non hoc tantum, sed & infinita multa, uel potius infinities infinita esse sequitur, & fieri dicere. Cur enim non putauerit quis absurdissimam esse hanc opinionem? infinitum siquidem maius esse infinito impossibile est dicere: cum ipsum infinitum necesse est dicere ubiq; esse, & uniuersum locum occupare: non enim amplius est infinitum, quod ubiq; non est: cum permittere alteri aliquem locum rei finitæ sit: tale uero nihil excedere potest, neq; præter ipsum aliud esse, non quod infinitum, sed nec finitum: non enim esset hoc pacto ubiq;. quapropter iuxta illos, qui plura infinita ponunt, nullum erit secundum hos simpliciter infinitum. si enim plura infinita, neq; infinitum ubiq; erit: & erit infinitum infinito maius, cum duo infinita necessario unum excedant, & infinitum sit & quod ex duobus infinitis constat, rursus quoq; tria duobus maiora, & ita appositis in infinitum abibit infiniti accretio. aut enim negabunt duo infinita uno esse maiora, & plura, & hoc modo continget eos infinita partes dicere: ex huiuscemodi enim solorum compositione nihil maius erit singulo eorum, quæ in compositione sunt, quod ex omnibus constat, quod solis accidit punctis: aut si hoc rationi maxime pugnant: & æqualia, quæ componuntur, necesse est quod resultat facere duplum: erit quod ex duobus infinitis componitur duplum: & erit hoc pacto aliquid, & æquale infinitum infinito, & duplum aliud aliud, atq; dimidium: eodemq; modo & triplum in infinitum accrescens: quo quid fuerit rationi pugnantius? Necessarium quoq; est, & quoruncunq; magnitudinem habentium, infinitam tamen numero, compositionem infinitam aliquam magnitudinem facere: cum autem nihil possibile sit huiuscemodi magnitudine maius esse, necesse est infinita principia supponenti statim hæc se tangere dicere, & nullum ipsorum esse intermedium: & erit hoc pacto eo infinito, quod ex infinitis compositis sit, maius, quod ex infinitis principiis, & ipsorum mediis constat. At, quod plura infinita secundum eos, qui infinita dicunt principia ex his etiam notum est. dicunt enim mundos infinitos: horum autem, siquidem & eorum unusquisq; ex infinitis principiis constat, necesse est infinities infinita ipsa infinita esse: cum singulum principiorum, quæ in infinitis mundis sunt: ad singulum infinitam magnitudinem efficiat in collatione ipsorum inter se secundum compositionem unam: siquidem infinitum esse necesse est quod ex infinitis magnitudinem quandam habentibus constat. at si ex finitis constet, toties erunt infinita entia, ex quot finitis elementis quilibet mundus constat: si autem & intermedium uacuum annumeretur, multo iterum maius erit quod fit. At si hæc præter rationem sunt, & omnem absurditatem excedentia, manifestum quoq; est absurdam esse infinitionis suppositionem. quæ cum sequatur etiam ad eos, qui quodcunq; finitum dicunt, ex hoc, quod ad aliquod extrinsecum finiatur: & qui putant eum, qui sit in extremo, extendere posse aliquid ultra illa, & extra ipsum extremum: apertissimum est hæc etiam eisdem inconuenientibus, quæ prædicta sunt, derineri. Idcirco soluere hæc tentandum, à substantia ipsorum sumentibus principium, non à sensu, qui nihil ad ipsorum cognitionem confert. Si quidem finitum, esse finitum, esset in contemplatione ad aliud, recte dicerent contrarii, putantes extra quodcunq; finitum aliquid oportere esse, penes quod terminari conspicitur, cum in hoc essentia finiti constet, at si est finitum, quod habet finem, & quod potest in partes diuidi æquales, & quod ex finitis partibus constat, quarum nulli est esse in hoc, quod aliquid extra ipsam habeat: sumentes omne finitum penes aliquid finiri, non sumerent aliquid eorum, quæ in essentia finiti continentur, sed aliquid accidens his, quibus, cum sint uniuersi partes, inest esse finita. cum enim his insit hoc, ut penes aliud conspiciantur, & non ex hoc finita sint, sed quia sunt partes uniuersi, uult hoc transferre etiam in, ut uniuersum, finitum: cum hoc ad ea sola sequi possit, quæ finita sunt uniuersi partes, non quatenus finita, sed quatenus partes. etenim si finitum sui natura habet quod sit finitum: terminari uero ad aliquid huiuscemodi est per habitudinem ad aliud, non erit finitum ex hoc, quod ad aliud terminetur, cum ex tanto sit. opus enim est inducentem per rationum naturam, ita absurdam, & his quæ sunt, & his quæ fiunt ita pugnantem, ut demonstrauius, non ex breui probabilitate facere probationem, & fidem eis,

Alex. Aphro. Quæ.

H

nec ex aliquo accidente quibusdam rebus finitis, naturam finiti sumentem. neque enim sequitur hoc ad dicentem uniuersum esse finitum: neque ex sensu habent aliquid de ipso huiuscemodi dicere: nec appositio finitorum, quæ sub sensum cadunt similis est: siquidem hæc, præter hoc, quòd finita sunt, omnium assensu etiam partes sunt uniuersi: uniuersum uero partem esse alii cuius non item possibile est. Quòd autem non in omnibus utendum sit sensu, illi ipsi, aduersus quos est sermo, ostendunt: cum indiuiduas quasdam magnitudines ponant sensitiuam naturam effugientes: & uacuum quoddam esse dicant: & impartibilia quædam, & incorporea, & motus, & tempora inducant. Quemadmodum autem erat huius rationis aggressio ab accidente finitis ipsis, non autem à substantia ipsius finiti: & à consuetudine, quæ est in sensu, non à consequentia, quæ est secundum rationem: sic quippe & in secunda, quæ uult eum, qui sit in extremo uniuersi, extendere ultra extremum, aut impeditum iri: utroque uero modo futurum aliquid extra uniuersum. nam & hic ab his, quæ ut partes finita sunt, argumentationem transfert ad uniuersum: & putat utendum nobis esse sensu circa hæc, & apparentia, quæ ab ipsis oritur, ac si in omnibus eodem modo se habeat. hoc uero non sic se habet: non enim quod apparet est uerum: non enim si quis sui imaginationem acceperit, quòd in aliquibus locis sit, in quibus, aut quandoque fuit, aut omnino non fuit, iam & ob hoc est, ubi possibile est. Quòd enim non omne, quod apparet ueram sit, satis testantur quæ fiunt dormientium, & uigilantium uanæ uisiones: quibus etiam simile est supponere aliquem in extremo uniuersi fieri, eorum, qui possunt ultra extremum extendere aliquid detentum. quid enim differt ab imaginatione hac, & suppositione, supponere seipsum esse in non ente, & quærere, utrum ipsum recipiet ipsum accedentem ad se, aut non recipiet: & utrum, cum ad ipsum peruenerit quiescet, & nihil, quod occurrat habebit, & extendere manum poterit, aut erit aliquid ipsum impediens: quouis enim horum supposito aliquid est ipsum non ens. Idcirco melius est huiuscemodi imaginationes inanes existentes redarguere, sequentes demonstrationes, quæ per ratiocinationes fiunt, & utentes demonstratis per plura: hæc uero sunt, quòd impossibile sit esse aliquid infinitum, nec simplicium, nec compositorum: sed nec quòd uacuum aliquid. uniuersaliter enim impossibile est subsistere spacium sine corpore. neque enim longitudinem possibile est esse per se separatam à corpore, nec latitudinem, nec etiam profunditatem. quæ enim à Geometris dicuntur spacia ad unum, & duo, & tria, non, ut quæ propriam subsistentiam habeant, dicuntur ab ipsis: separantur enim ab ipso intellectu à corporibus naturalibus, quæ & proprie corpora sunt: & absque corpore sumentes, faciunt de eis sermones: quærentes, & demonstrantes, quæ nam sunt: quæ eis, ut huiuscemodi, inesse, & accidere possunt. Qui uero ipsum inane esse ponunt, nihil aliud quam tres dimensiones subsistere sumunt absque materia: qui dicentes susceptiuum esse corporum, nil aliud quam spacium spacii dicunt esse receptiuum. nam nec corpus ipsum per aliud quid est in loco, quam per trinam, quæ in eo, dimensionem. non enim quatenus colorem aliquem, saporemue quendam, aut aliquid aliud accidens habet, est in loco, sed per suos dimensus: quorum si receptiuum est æquale uacuum, fiet spacium in spacio. at si non sufficit corpori, ut sit proprium spacium, sed alio æquali suo indiget spacio, cur non & uacuum in alio quodam erit spacio? siquidem spacia aliis indigent, ut sint spacia. Verum rationabile, quemadmodum non solum longitudinem impossibile est ipsam per se aliquam sine materia subsistere, eodem quoque modo nec superficiem, ita nec quod tertiam assumpsit dimensionem, quam profundum appellamus, quale dicunt esse uacuum: uacuum igitur ob hoc non erit extra uniuersum. Ostensum quoque pluribus est & non posse corpus aliquid esse infinitum: neque enim simplicia corpora plura quinque corporibus esse possunt, quatuor quidem materialibus, quinto uero Diuino corpore, & circulo uersatili, nec aliquid horum infinitum esse. Ostensum est etiam, cum simplicia finita sint, & numero, & magnitudine, necessario & quæ ex horum compositione, & mixture, & temperamento habent esse, & ipsa finita esse. Ostensum est etiam, non posse plures esse mundos, sed necessario omnem corporum naturam in mundo esse. Quæ cum ita se habeant, nihil porro extra mundum, quod & uniuersum est, erit: cum neque aliud præter hæc corpus sit: neque uacuum aliquid spacium extra corporum dimensionem. quæ omnia absurdum est destruere, breui cuidam persuasioni dantes manus. sed oportet audaciam sumentes, quærentibus, an aliquis in extremo existens uniuersi extendet manum, aut impiedetur, dicere respondentes, non extensurum ipsum manum, sed quod impiedetur, non, ut ipsi dicunt, ab aliquo obuiante



extrinsecus ipsi uniuerso circumposito, sed multo magis ab eo, quòd nihil sit: nam quo pacto quis in nihil extendere aliquid poterit: aut quo pacto in illo fuerit, quod omnino non est: nam nec à principio impulsus acceperit aliquem ad extendendam suarum partium aliquam in nihil: huiuscemodi enim est non entis natura.

*De eo, quod in nobis, quædam.*

*Caput decimum tertium.*



**Q**UONIAM quod in nobis est in rationali assensu: ob hoc enim est in solo homine quod in nobis, quia & solus animalium homo est rationalis, atq; consultandi uim habens: assentiunt enim & animalia bruta: sed hæc quidem imaginationibus, quæ à sensibilibus in ipsis per ipsos sensus fiunt, sequentia etiam passio- nem, quæ ab his in ipsis fit, assensus faciunt, ducta ab illis, quæ illa ducant: homo uero, quando, ut homo, assensus promit, indiget præter imaginationes ratione etiam, quam habens à natura, ut de talibus iudicium ferat, homo est: per quam rationem iudicat imagina- ta. idcirco, si etiam consultanti de occurrente sibi imaginatione, non huiuscemodi res ipsa uidea- tur, qualis à principio uidebatur, non assentit ei, cui utiq; quantum ad passionem, quæ ima- ginationem ipsam sequitur, assentiret: & est electio huiuscemodi assensus, cum sit appetitus con- sultatorius: quod enim ex consilio de re sensibili, & eo, quod ante ipsam electum est, electio est. Si igitur, & cum consultamus nos, assensus imaginationem ipsam sequeretur, non esset in nobis, neq; esset cum consilio assensus. sed quia ipsum consuluisse assensum, qui est de ima- ginatione longe alium à passione, quæ ab illa, sæpius facit, non utiq; rationabiliter imaginatio- nibus assentire dicimur. cum autem imaginationibus non pareamus: erat autem hoc eius, quod in nobis destruendi uim habens: nec utiq; in nobis aliquid esse tolletur. Enim uero, si qui- dem ad omnem imaginationem sequeretur omnino in nobis consultatio, forte uideretur & ip- sam non in nobis esse, sed accidens quoddam imaginationis ab ipsa profectum: quod, cum ha- beret esse ab illa, usum fuisset & assensus ad ipsam secundum illam fieri, secundum quam & consultatio, ad quam ipse assensus. At, si non est imaginatio consilii in ipso homine imperatrix: sed est in ipso, & consultare, & non consultare: utpote, qui multis imaginationibus absq; con- silio pareamus, perinde atq; animalia bruta: neq; huiuscemodi assensus imaginationis opus erit, cum in multis ipsi, & multipliciter aduerfetur. Quòd uero nos consultandi de imaginatio- nibus domini simus, manifestum & ex eo, quod prius dictum est, facultarem nos habere consultandi, & non consultandi, & non esse imaginationem huius dominam. quòd si non imaginatio ipsa, quid aliud præter nos ipsos ponetur huius principium? non enim, quia com- muniis dicimus uideri nobis & quod per rationem inuentum est, & opinionem, iam oportet imaginationem, & in imaginatione dicere eiusmodi assensum: siquidem imaginatio proprie est motus factus à sensu in actu. Præterea laudari quidem eos qui consultant, uituperari uero qui non, indicium est in nobis esse consultationem, & non esse imaginationis opus: laudes enim, & uituperia in his, quæ in nobis. idcirco in imaginationibus, nec laudamur, nec uituperio afficimur, nisi in quibus ipsarum nos authores sumus. sed in assensibus earum, iam est horum alterum. uituperamur enim in illis imaginationibus, quæcunq; in nobis ex in- experientia huiuscemodi fiunt, cuius experientiæ nos eramus domini: quoniam consultores acci- pere aut huius potius, aut pro his, in nobis. manifestum ergo quòd in nobis ab initio est ipsa con- sultatio. si enim in nobis usos esse consultoribus, per quos huiuscemodi assensus, in nobis & ip- sa consultatio: quia in his, quæ ex præuidentia committimus peccata, maiora sunt supplicia, utpo- te qui per electionem admiserimus: constat quòd & quicquid ex præuidentia fit, in nobis.

*Discursus eorum, quæ in Quarto Meteorologicorum, imperfectus. Caput decimum quartum.*



**Q**M dixisset in secundo de Generatione, & Corruptione de quatuor elementis, Igne, Aère, Aqua, Terra, quæ sit ipsorum secundum formam substantia, & cau- sa: demonstrauiſſetq; & mutuam in eis esse generationem per mutationem specifi- cantium ipsa inter se differentiarum: in hoc libro, qui Quartus quidem Meteo- rologicorum inscribitur, magis autem accommodatur tractatui de Generatio- ne, & Corruptione, primum meminit de formantibus quatuor elementa differentiis: quæ erant duæ primæ ex simplicibus contrarietatibus, Caliditas, Frigiditas, Humiditas, & Siccitas: his

Alex. Aphro. Quæ.

H ii

enim quadrupliciter in ter se complexis, unumquodq; formatur ipsorum. Post quæ demonstrauit quatuor harum differentiarum, duas quidem actiuas esse, caliditatem frigiditatemq; duas uero passiuas, humiditatem & siccitatem: & unicuiq; elementorum ex utraq; contrarietate alteram: ut & agendi patiendiq; potentiam in seipsis omnia. Post quæ præposuit dicere opera, quæ fiunt à potentiis actiuis, quæ sunt, ut dicit, Concoctio, Cruditas, & cuiusq; harum species; nec non earum, quæ patiuntur ab eis, (hæc uero sunt siccum, & humidum,) species, & differentias. Et primum, cum dixisset in quibus est, & fit huiusmodi mutatio, hæc scilicet esse, quæ nata sunt, & animalia, & horum partes, tanquam ex quatuor corporum concursu, cum hæc sint quæ principaliter generantur secundum naturam. Et post hæc tradidisset quid sit simplex, & naturalis generatio, quòd scilicet est mutatio ab effectiuis potentiis, caliditate, & frigiditate subiectæ materiæ in quacunq; natura secundum potentias passiuas, humiditatem, ac siccitatem, quando habeant inter se rationem, ut possint, hæc quidem agere, & immutare, illæ uero immutari, & pati: generant enim calidum, & frigidum quæ ab ipsis secundum hæc genita sunt, dominantia materiæ: materia uero est ipsis altera contrarietas, quæ est humidum & siccum. quando autem nullum dominetur secundum hanc rationem ad subiectam sibi materiam: aut si quidem secundum aliquas partes sint aliqua non dominantia subiectæ materiæ, Inquinatio fit, & Cruditas. Si uero in uniuersali generatione fiat huiuscemodi actiuarum imbecillitas, est in putredinem mutatio: corruptio enim secundum uniuersam naturam uia est in putredinem. secundum naturam itaq; uia in corruptionem est per senectutem, & ariditatem: quarum siccitas quidem, & ariditas de plantis magis proprie dicitur, senium uero de animalibus. At si fit actiuarum potentiarum imbecillitas in partibus, iniquationem fieri, & cruditatem. quarum rursus Inquinatio de partibus animalium magis proprie dicitur: omnium enim natura generatorum naturalis finis est marcor, & putredo: non enim est naturalis uiolenta corruptio: ob hoc enim quæ naturaliter corrumpuntur primum quidem in humiditatem mutantur, eò quòd non dominetur in eis amplius humiditati caliditas, ut possit ipsam concoquere: demum uero eadem humiditate, tanquam quæ exhalauerit, & unà segregata fuerit, excreta, & dispartita à caliditate, quæ relinquantur sicca fiunt: est enim eorum, quæ putruerunt, finis, ut in hæc ipsa dissoluta sint, ex quibus fuerunt genita, ac constiterunt, terminantibus, & miscentibus humidum sicco actiuis, quæ erant calidum, & frigidum. Fit autem huiuscemodi, hoc est naturalis corruptio, quando propter continens superet ipsum terminans, quod erat ipsum calidum præcipue, id, quod terminabatur ab ipso, quod erat humidum, & siccum. cum enim dissipatur à caliditate continentis maiori, quod est in his, quæ corrumpuntur, & putrescunt, calidum, fit passiuarum exuberantia. uniuersaliter enim in his, quæ putrescunt, putredo fit per separationem naturæ ab eis: natura autem in singulis est principium motus caliditatis eorum: est autem in omnibus natura constantibus huiuscemodi præcipue calidum ipsum. Post quod tradidit Putredinis rationem, corruptionem ipsam esse dicens ipsius in singulo caliditatis ab ea, quæ in continente. Quoniam autem est ex inopia calidi putredo: omne autem, quod hac potentia indiget, frigidum est: utraq; quodammodo effectiua putredinis fiunt calidum, frigidumq;: fit enim ex utriusq;, & frigidi, & calidi multitudine: sed frigidi quidem proprii, calidi uero alieni. nam propter huiuscemodi, & quæ hoc modo fit, mutationem, quæ putrescunt sicciora fiunt, & tandem terra, & fimus. fit enim hoc, quia exeunte ex unoquoq; eorum, quæ putrescunt, proprio calido, exhalat unà & proprium in eis humidum, quod causa fit siccitatis, cum non sit amplius in eis quod alliciat, & cohibeat humidum, quod erat innata in singulis caliditas. Addidit quoq; & consequentem ad prædicta causam, cur non eodem modo in frigoribus quædam putrescunt. quia enim in hyeme minor est in continente caliditas, non ita putrescit, & uincitur proprium in singulo calidum. sed nec etiam quæ concreta fuerunt per frigiditatem eodem modo putrescunt: quia propter frigiditatem ampliozem non uincuntur à caliditate aëris continentis: & quia, si debebat ipsum mouere, & immutare, in superando mouere. At neq; feruentia putrescunt, cum eorum caliditate minor sit in continente ipsa aëre caliditas. Sed nec quæ mouentur, ac defluunt eodem pacto ac ea, quæ non mouentur, ac quiescunt, ab ipso continentis calido uincuntur: fit enim hoc pacto fortior quam in aëre caliditas quæ in eo, quod mouetur: motus enim adauget innatam cuiusq; caliditatem, excitans, & accendens. Eandem quoq; esse causam, cur multum pauco minus immutetur, & putrescat: est enim amplius calidum, & frigidum in maiori: idcirco dominantur



hæc potentiis, quæ sunt in continente: hæc enim causa est, cur & mare, & alia aqua diuisa putrescit. Dixit etiam causam, cur ex his, quæ putrescunt, generentur animalia quædam: ex his enim, quæ putrescunt, excreta caliditas, cum sit naturalis, generat quædam, & excreta concretere facit: in quibus scilicet acciderit temperata genita esse. Cum autem dixisset uniuersaliter de generatione communi, & eodem modo de corruptione, uenit ad sermonem de his, de quibus proposuerat: hæc autem erant, dicere per quæ prædictæ potentiæ caliditas scilicet, & frigiditas operantur generationem eorum, quæ fiunt, & corruptionem ex his, quæ subiecta sunt eis: hæc autem erant in corporibus naturalibus sicca, & humida: hæc enim illis materia sunt. quoniam enim omnis generatio, & mutatio est ab effectiuis potentiis, quarum caliditas proprie generationis est causa: superante enim calido, & congregante siccum, & humidum concoquente, & terminante est generatio. quod si hoc non superet, quia frigidum amplius est, roboratum frigidum contrariorum est causa, corruptionis scilicet, & putredinis. Quoniam autem & Concoctio multipliciter dicitur, & Cruditas, de his dicere rationabiliter proposuit. Et primo quidem dicit ea, per quæ calidum mutationes suas facit in subiecto. & dicit proprium quidem opus esse calido concoctionem, esse uero concoctionis species, & differentias, Maturationem, Assationem, Elixationem. frigidum quoque proprium quidem opus cruditatem quidem esse, huius autem species, & differentias, Immaturitatem, Inquinationem, Tostionem. Post quæ cum dixisset non esse propria nomina illis, de quibus dicta sunt, eò quòd non sit proprium cuiuslibet ipsorum impositum nomen, ab his, quæ nominata sunt, necesse est transferre nomina etiam ad ea, quæ similia sunt his, quæ nominantur: idcirco non hæc, sed huiusmodi oportet putare esse quæ dicta sunt. Dicitque, & definit quid sit unumquodque eorum, quæ dicta sunt. & primo dicit quid est concoctio, deinde quid sit cruditas, quæ est opposita concoctioni communi. Post quæ de muratione sermonem facit, quæ est sub concoctione. & post sermonem de hac de immaturitate dicit: quæ, cum sit sub cruditate, opponitur maturitati. Post quæ, cum dixisset quid est assatio, quæ & ipsa concoctio quædam est, dicit de tostione: quæ cum his annumeretur, quæ sub cruditate sunt, opponitur assationi. Ex quibus omnibus Concoctionem quidem dixit esse perfectionem à naturali, & proprio calido, oppositorum passiuorum: opposita uero inuicem erant passiuæ, ipsa cuiusque materia, humiditas scilicet, atque siccitas: hæc enim sunt, quæ concoquantur, & terminantur à calido. Cruditas uero imperfectio ex inopia propriæ caliditatis, quod frigiditas est: quorum enim perfectio ipsa concoctio, horum cruditas imperfectio. Rursus Maturationem quidem esse dicit concoctionem, & perfectionem nutrimenti in *περικαρπίοις*, idest in his, quæ fructum continent. est autem his perfectio, quando dicuntur posse ex se ipsis aliud huiusmodi generare. dixit quoque & alia esse matura per relationem ad ipsa. Immaturitatem uero, & cruditatem, & imperfectiorem nutrimenti in eo, quod fructum continet. Post quæ demonstrauit omne maturum necessario non solum humiditatem habere, sed etiam siccitatem. Post quæ definiuit Elixationem concoctionem à caliditate, quæ est in aqua continente, interterminati humidi in eadem existentis, quod est aut spiritus quidam, aut aqua. Addidit quoque & de quibus elixatio prædicatur, quæ communius dicuntur elixari. Definiuit quoque Inquinationem contrariam elixationi cruditatem esse. Quoniam uero multis modis elixatio dicitur, totidem quoque inquinationem: cum cuiuslibet elixationis differentie propria quædam inquinatione opponatur. Post quæ dixit quid est Assatio, quòd scilicet concoctio à caliditate sicca, & aliena: dixit autem à caliditate sicca fieri tunc, quando sit siccum quod sic concoquitur. Concoctioni uero huic, quæ ut assatio dicitur, oppositam cruditatem dixit non esse ualde nominatam, sed consimilem esse tostioni: quando quod assatur immutatur quidem, sed non perfecte assatum fuerit: quod fit, aut ex inopia caliditatis immutantis quod assatur, aut ex multitudine humiditatis, quæ est in re, quæ assatur. Cum autem dixisset de his, transiuit ad sermonem de potentiis passiuis, quæ erant Siccitas, atque Humiditas. & cum demonstrasset quæ sint harum rursus differentie, & quæ, & quot species, quæ fiunt ex his, primo quidem meminit de hoc, quòd sunt principia corporum, quatenus passiuæ sunt, humidum scilicet, & siccum, alia uero quæcumque non sunt principia, sed ex principiis existentia, & generata, mista quidem ex his esse: cuiusuis enim plus habet ipsum quod mistum est, hoc ipsum statui, quæ quidem per siccum exuberant, siccò, quæ uero per humidum, humido. Omnia uero sicca, humidaque, aliqua quidem hæc actu dicuntur, aliqua uero potentia. Post quæ cum sumpsisset, quòd mistio humidi, & sicci



causæ sunt quòd terminentur ex ipsis mista: utrunq; enim illorum per se existens interminatum est: cum sumpsisset quoq; & humidum quidem passiuum in elementis aquam esse, siccum uero terram: in quibus etiam existens frigidum uidetur potius per se passiuum esse quàm actiuum: cum addidisset omne terminatum passiuum corpus, aut molle, aut durum esse: & dixisset quid est Molle, quid etiam Durum, Durum quidem, quod resistit, & non cedit in superficie, Molle uero, quod cedit in superficie eorum, quæ sunt sub eo, eò quòd, quod diuiditur contra circumstant: consequenter quia omne terminatum corpus durum est, aut molle, concretum uero iam terminatum est, ad dicendum de Concretionem accessit. Et cum meminisset de causis, quæ secus ipsam materiam sunt, quæ scilicet sunt ipsum, unde principium motus, & ipsa Forma: & sumpsisset has esse causas omnium, quæ natura fiunt: nam & concretionis, & effusionis, & exiccationis, humectationisq; quæ sint effectiua, quæq; passionis, & formæ eorum, quæ fiunt, sumpsit: effectiua quidem dicens esse caliditatem & frigiditatem, passionis uero, quæ ab his in corporibus fiunt, calidum, & frigidum. Post quæ cum reuersus esset ad sermonem de concretionem, & assumpsisset concrescere exicari quoddammodo esse, dixit de his primo dicendum esse. & primum quidem sumpsit quæ sunt, quæ exiccantur, quòd scilicet aqua ipsa, & omnes aquæ species, & quocumq; aquam habent, aut connatam, aut superinductam. Post quæ quæsiuit à quibus exiccantur. Et cum assumpsisset, quòd omnia, quæ exiccantur aut calefacta, aut frigefacta exiccantur, addidit, & quæ calefiunt, & quæ in frigidantur calido exicari, aut extrinsecò, aut intrinsecò: extrinsecò quidem, quæcumq; à circumposito calido exiccantur, intrinsecò uero, quæcumq; à frigido. cum enim à frigido dissipatur intrinsecum his, quæ exiccantur, calidum, & transpirat, unà & humidum ipsum intrinsecum exhalat: quod, cum fit, exiccantur. Cum autem dixisset quæ sunt illa, quæ exiccantur, & à quibus, & per quid, quòd scilicet per calidum extrinsecum, intrinsecum uero, transiit ad dicendum de his, quæ humectantur, quæ oppositam his, quæ exiccantur, patiuntur passionem. Et cum sumpsisset humectationis differentias esse: humectantur enim quæ humectantur, quædam per consistentiam, ut aërem humectari, hoc est in aquam mutari, quod erat passiuum humidum: cum enim in frigidatur spiritus, & consistit, & crassescit, & aptatur, facit mutationem in aquam: de concretionem, & huiusmodi in aquam mutationem, simul dixit fore manifestum & de Liquefactione quidem, quoniam uidentur concreta liquefieri. Quibus addidit, quæ sunt illa, quæ concrescunt: nam omnia, quæ concrescunt, cum sint aqua, aut aquæ species, concrescunt, aut terræ, & aquæ solum. Quibus addidit à quibus concrescunt, nam aut à calido, aut à frigido, aut ab humido: unde & à contrariis dissoluantur: quæ enim à calido sicco, quod est ignis, concreta sunt, ab aqua dissoluantur, quæ est frigida, & humida: quæ uero à frigido concreta sunt, à calido dissoluantur, ab igne enim. Quibus addidit, quæcumq; aquea sunt ex his, quæ concrescunt, hæc ab igne minime concrescere: dissoluantur enim ab hoc. etenim si hæc concrescunt, quia separatur calidum, quod est in eis, merito eiusdem præsentia dissoluentur. sed horum concretionis frigidum ipsum est concretium. idcirco nec condensari huiusmodi: eò quòd densatio fiat, abeunte quidem humido, concrescere uero faciente sicco: & aquam solam ex humidis crassescere non posse, cum nihil in se siccitatis habeat: quod autem ex aqua, & terra est mistum ab utrisq; concrescere, calido scilicet, & frigido. quoniam autem per densationem est horum concretio, dixit ipsa densari quidem ab utrisq; calido inquam, & frigido, sed non eodem modo, sed à calido quidem humidum exhalare faciente, à frigido uero calidum, quod est in eis, extrudente: cum quo simul exhalat humidum, quod est in eis. Quibus addidit, quæ quidem mistorum densantur, quæ uero non densantur, sed concrescunt. Cum autem dixisset quæ concrescunt, & quomodo, & à quibus, consequenter dixit de his, quæ dissoluantur, & liquefunt. ex mistis quidem, quæcumq; à frigido concreta sunt, in quibus terræ plus est, quæcumq; quidem per exitum caloris concrescunt, hæc dissoluantur, & liquefunt à calore, cum iterum ingrediatur in ipsa calor, ut fit in concreto luto per frigiditatem. at quæcumq; per frigiditatem quidem ita concreta fuerunt, non sic autem ut solum calidum ab ipsis separatum sit, sed & humidum unà cum ipso exhalauerit, hæc non dissoluantur nisi ab excedente caliditate, sed molliuntur, & extenduntur ut ferrum, & cornu. uerum etiam liquefieri hæc eadem dicit: & idcirco addidit quo liquantur & alia. quæcumq; uero à calido sicco concrescunt, hoc est igne aliqua quidem indissolubilia manent, quædam uero dissoluantur humido: cornu quidem indissolubile, & lapides quidam: quorum generatio ab



gne, terra combusta, & unita fit. nitrumq; & sales dissolubilia humido, ut dicit, frigidum, quod scilicet in sui natura propria, & substantia habet frigiditatem, qualis est aqua. non item oleum habet in sui natura, & substantia frigiditatem, idcirco neq; in speciebus aquæ ipsum sumpsit. non habet autem in sui substantia frigidum, quia magnam partem habet æris: quæcunq; enim mistorum plus habent aquæ, quàm terræ densantur à calido: concrescunt uero quæcunq; terræ plus. per quæ demonstraui quòd nitrum, & sales terrea sunt magis, calido enim concrescere possunt: ex quibus & lapis, & fictile. Deinceps de oleo dubitauit: nam nec concrescit à frigidum, quod patiebantur quæ constabant ex aqua: neq; concrescit à calido, quod patiuntur quæ plus habent terræ: hoc uero à neutro concrescit, sed ab utrisq; densatur. cuius causam tradidit, quòd fit ære plenum. cuius signum addidit ipsum supernatare in aqua, quod facit ær, & quæcunq; multum in seipsis ærem continent, ut ligna. Post quæ, quomodo à frigidum in unum densatur ipsum oleum, & quomodo à calido: frigidum enim ipsum densat immutans ærem, qui est in eo, in aquam frigiditate: frigiditas enim aquæ in oleo ipsum facit densius: ab igne autem, & tempore densatur, & album quidem fit, cum exhalare faciat aquosam partem in ipso residentem: densatur autem, quia mutatur ær, qui est in eo, in aquam, cum à calido tabescit: tabescit enim à maiori calido, quod est minus. Post quæ uniuersaliter sumpsit, ut demonstratum hoc, quæcunq; mistorum non densantur à frigidum, sed concrescunt magis, hæc aquea esse: huiusmodi sunt uinum, acetum, lixiuium, lotium, serum. quæcunq; uero densantur ab igne, non euaporante, quod est in eis, humido, aliqua quidem terræ, aliqua uero æris, & aquæ communia sunt, mel quidem terræ, communia uero oleum. dicit autem communia esse aquæ, & terræ lac, & sanguinem: sed huius, quod lac ex utrisq; existens plus habeat terræ apposuit ostensiuum hoc, si separatim fuerit serum à lacte, si elixetur lac, ipsum comburi, ut & aliorum, quæ elixantur, quæcunq; plus terræ habent. Post quæ tradidit causas, cur concretorum quædam dissolubilia sunt, quædam indissolubilia: dissolubilia quidem nitrum & sales, indissolubilia uero fictile: & horum, aliqua quidem mollibilia, ut cornu, aliqua uero non mollibilia, ut fictile, & lapis. Causa autem, quia duo sunt, quæ concrescere faciunt, ut dictum est, calidum scilicet, & frigidum, dissolui ipsa quandoq; necesse est calido, & frigidum: quæ quidem à calido concreta sunt frigidum: quæ uero à frigidum calido. idcirco aliqua quidem igne dissoluuntur, quæcunq; ab aqua concreta sunt: aliqua uero aqua, quæcunq; ab igne concreta sunt. ab aqua igitur dissoluentur, quæcunq; ab igne solo concreta sunt: ab igne uero rursus quorumcunq; concretionis aqua est causa. si autem quædam sunt, quæ ab utrisq; quidem concrescant, hæc maxime indissolubilia fore. concrescunt autem ab utrisq; quæcunq; prius calefacta concrescere facit ipsum frigidum. cuius causam tradidit. cum enim calidum eorum, quæ ab utrisq; concrescunt, exhalare fecerit rei, quæ concrescit humidum, frigidum postea comprimit ipsum, & ita densat, ut neq; humido ingressum aliquem permittat, & ob hoc ab utrisq; indissolubilia, quæ ita concreta sunt. Dicit quoq; & ferrum ab utrisq; concrescere: primum enim ab igne liquefactum: (est enim generatio eius per hoc) postea à frigidum concrescere: idcirco & pauloante dixit ipsum non liquari, sed extendi, & mollescere. Dixit etiam ligna non liquabilia, sed combustibilia esse: quia sunt ex terra, & ære, non autem aqua: cuius signum rursus addidit ipsa supernatare in aqua: ær enim huiusmodi est. Desunt quædam, ut antea scripsit, discursui eorum, quæ in Quarto Meteorologicorum Aristotelis dicta sunt.

De eo, quod est ueluti impartibile. Caput decimumquintum.



**Q**UAE ueluti impartibilia sunt similia impartibili, non impartibilia: quoniam neq; aliud quid simile alicui idem est cum illo, cui est simile: quoniam simile impartibile, & quod impartibile apparet, non impartibile: quemadmodum & apparet syllogismus non syllogismus. sed si non impartibile, partes proculdubio habebit. At hoc pacto nihil erit impartibile: quæcunq; enim eius pars sumatur, & ipsa ueluti impartibilis erit, eò quòd id, quod impartibile dicitur, habet essentiam suam in eo, quod est ueluti impartibile: siquidem per hoc diluunt non constare ex indiuisibilibus magnitudines. At si quis dicat ipsum ueluti magnitudinem, rursus non magnitudo erit. at si omnis magnitudo partibilis est, uelut magnitudo, impartibile erit sui natura. si uero impartibile, ex impartibilium compositione erunt magnitudines. Si uero quis dicat ipsum, ueluti, equiuale

ei, quod potentia, erit uelut impartibile, potentia impartibile. quod si hoc, nihil erit actu, quod erit impartibile: cum nihil eorum, quæ sunt aliquid in potentia, est hoc, quod potest: quare neque uelut impartibile impartibile est. at si non actu, sed potentia, uelut impartibile, impartibile est, aliud quid existens, potentia hoc est. Quid igitur erit potentia impartibile? & si est magnitudo, quod est ueluti impartibile, ex his autem est magnitudo, nam ex ueluti impartibilibus, constabit omnis ex magnitudinibus magnitudo, & diuidetur in magnitudines: hoc autem pacto & in infinitum sectio abibit. Præterea ipsum ueluti impartibile ipsius impartibilis materia est: omnis autem materia alicuius per aliquam mutationem: ipsum uelut impartibile impartibile erit: quoniam materia ipsius impartibilis, quæ est ipsum uelut impartibile aliud erit ab impartibili. quod si hoc, aut cum componitur faciet ipsum impartibile, aut cum diuiditur. Sequitur quoque rursus dicenti ipsum in impartibilia diuidi, ex impartibilium compositio, ne fieri magnitudines.

### CAPITA QVARTI LIBRI.

DIFFICULTATES aduersus dicentes ipsum uiuere esse bonum.	Caput primum.
Quod uoluptates non sint eiusdem speciei.	Caput secundum.
Quod inter iustitiam, atque iniustitiam, & omnino uirtutem, & uitium est aliquis habitus.	Caput tertium.
Difficultatis solutio dicentis, instrumento quidem nihil esse contrarium, diuitijs uero paupertatem contrarium, propterea non esse diuitias instrumentum.	Caput quartum.
Difficultas, quod communis uoluptas, quæ ut genus assumitur, neque bonum est, neque malum, neque indifferens.	Caput quintum.
Quod uoluptati dolor est contrarium, non autem labor.	Caput sextum.
Cur, si dolor omnis sui ipsius natura malum, non etiam uoluptas omnis est sui ipsius natura bonum.	Caput septimum.
Quod uirtus neque genus, neque totum.	Caput octauum.
Quod non omnes, qui peccant, ignorantia, quod mala, & damnosa sint, quæ faciunt, peccant.	Caput nonum.
Quod homo uirtutum gratia, non autem e contra.	Caput decimum.
Quod non multipliciter ipsum inuitum, quoniam & ui, & per ignorantiam.	Caput undecimum.
Textus cuiusdam expositio ex Tertio Ethicorum ad Nicomachum Aristotelis.	Caput duodecimum.
Quod propria sit uoluptas actioni, in qua fit.	Caput decimum tertium.
Quo pacto defendetur esse aliquid medium uoluptatis, & doloris.	Caput decimum quartum.
Quod imprudentia horum est ignorantia, quorum prudentia est scientia.	Caput decimum quintum.
Quo pacto, si dolor omnis malum, non etiam uoluptas omnis bonum.	Caput decimum sextum.
Sed quo bonorum sit uoluptas.	Caput decimum septimum.
Cur maxime importunos dixit eos, qui in uoluptate finem ponunt, in primo Ethicorum ad Nicomachum.	Caput decimum octauum.
Quod non sint eiusdem speciei uoluptates ipsæ.	Caput decimum nonum.
Quod non oportet ubique utile querere.	Caput uigesimum.
De uerecundia.	Caput uigesimum primum.
Quod uirtutes se sequantur.	Caput uigesimum secundum.
Quo pacto, si uoluptas iuxta Aristotelem actus est habitus secundum naturam, non im-peditus, non erit etiam fælicitas iuxta ipsum uoluptas.	Caput uigesimum tertium.
Quo pacto uirtutes sint propter se expetendæ.	Caput uigesimum quartum.
Discursus, unde nam uirtutum inuentio, & constitutio.	Caput uigesimum quintum.
Quod honestum non uoluptatis gratia expetendum, sed uoluptas honesti.	Caput uigesimum sextum.
Quæ de causa morales uirtutes medioeritates.	Caput uigesimum septimum.
Vtrum, uel ut genus, uel ut totum uirtutum uirtus.	Caput uigesimum octauum.
Alterius textus expositio ex Tertio Ethicorum ad Nicomachum Aristotelis, quo demonstrat, quod & uitia, similiter ac uirtutes, in nobis.	Caput uigesimum nonum.
Quo pacto, si ex contrarijs contraria sunt, non erit ex iustitia quidem iniustitia, ex iniustitia uero iustitia: & in alijs uirtutibus, ut in se eadem ratio.	Caput trigessimum.



65

ALEXANDRI APHRODISIENSIS,  
NATURALIUM ANNOTATIONUM,  
DIFFICULTATUM, ET SOLUTIONUM,  
LIBER QVARTVS.

DIFFICULTATES ADVERSVS  
DICENTES IPSVM VIVERE ESSE BONVM.  
CAPVT PRIMVM.



**I** BENE nauigare bonum, male uero malum, nauigare neq̄ bonum, neq̄ malum. & si bene uiuere bonum, male uero malum, uiuere neq̄ bonum, neq̄ malum. An minime uerum est oppositorum potentias indifferentes esse, & medias. omnis enim huiusmodi potentia, eò quòd eorum, quæ potest melius intendat, bonum, atq̄ expetendum est: quòd enim peius in iis, quæ quid potentia sunt, fit ex aliquo aduerso casu. quæcunq̄ enim huiusmodi arte fiunt, quæ fieri possunt, cum fiunt, melioris gratia fiunt. consimiliter etiam & quæcunq̄ natura. nauigare enim bonæ nauigationis gratia ab ipsa gubernatrice inuentum est: secare quoq̄ ab ipsa fabrili recte secandi. ideoq̄ expetendum est, illi quidem nauigare, huic uero secare: quoniam absq̄ his non possunt hæ propositum finem assequi. non enim ab aliquo eorum, quæ per aliquem aduersum casum fiunt in re aliqua, propositorum iudicium fit: sed ab his, quorum gratia & sunt, & fiunt præcipue. Sicut autem se habet in his, quæ per artes fiunt, eodem modo, & in his, quæ per naturam. in illis enim intendit natura ambarum potentiarum quòd melius: & huius gratia natura dat illud. quæcunq̄ enim à natura generata illico proprium perfectionem habere non possunt, his natura potentiam largitur, ut fieri perfecta possint. impossibile autem aliquid potentiam habere alicuius, ut etiam ipsi oppositum non possit: hac enim potentia ab actu discrepat. idcirco sunt quidem potentia meliorum præcipue: sequitur uero ipsas ex necessitate & his oppositorum esse. Si itaq̄ uniuscuiusq̄ iudicium à præcipuis, & quorum gratia est: non enim non deambulandi causa est uirtus deambulatiua: & si est aliquando in eo, qui hoc potest, etiam ipsius priuatio: & si expetendum fuerit ipsum deambulare, expetendum suiipsius natura fuerit & posse ambulare: & si potentiam etiam non deambulandi habeat: quòd si illud non expetendum, neq̄ ipsum posse. & uiuere quoq̄ ipsum potentiam in seipso bene, maleq̄ uiuendi habens, nobis à natura bene uiuendi causa datum, (neq̄ enim poteramus statim orti ipsum bene uiuere possidere: nihil enim in imperfecto perfectum: omne uero imperfectum statim ac genitum est:) expetendum fuerit optimi eorum, quæ in nobis esse possunt, causa datum. optimum enim, & finis est ipsum bene uiuere: hoc uero absq̄ uiuere fieri minime potest. quomodo enim non dissentaneum, tum quidem dicere nos à natura ad hoc proprie factos esse, & suiipsorum salutis gratia omnia facere, tum uero non dicere nos tanquam ad bonum ipsum naturam nos proprie facere? Quòd enim tanquam ad bonum uiuere ipsum proprie finis perspicuum est, & quòd multum studium ad procreandos filios adhibemus, tanquam uicturi quodam modo per illos: sed etiam quòd timemus magis, quæcunq̄ timemus, quoniam ueremur etiam mortis in causa illa futura. Quòd autem & à meliorum potentia mediorem iudicium fiat, liquet etiam ex eo, quòd constat cæteris animalibus hominem melius animal esse: hoc autem propterea, quia aliorum nullum uirtutis est capax. Quoniam igitur, cuius melioris est susceptiuum, hoc his, quæ in aliis animalibus expetenda sunt, melius sit, propterea melior est homo. quandoquidem si etiam à deterioribus mediorem iudicium fieret, nihil prohiberet hominem, aut animalium pessimum dicere, rerum omnium pessimæ, uitii inquam capacem, aut aliorum animalium nullo ipsum esse meliorem, ex quo in omnibus expetendis, ac fugiendis probi iudicium expetendum sequi opus est.

*Quod voluptates non sint eiusdem speciei.*

*Caput secundum.*

**Q**uod non sint eiusdem speciei voluptates ipsæ monstrari posset, primo quidem ab ipsa cupiditate. si enim omnis quidem cupiditas appetitus iucundi, & in hoc esse habet: sunt autem cupiditatum absq; dubio illæ quidem expetendæ, hæ uero fugiendæ: perspicuum non alio quodam, nisi uoluptatibus, ob quas sunt, ipsa differre: eò quod, harum illæ quidem expetendæ, hæ uero fugiendæ sint. different igitur & voluptates inter se secundum hæc, pariter ac cupiditates: quandoquidem his & illæ differunt, atqui non possunt eiusdem speciei inter se esse ea, quæ sui ipsorum natura differunt. Secundo ab actionibus. quoniam enim omnis uoluptas in actione quadam fit: & affinitatem uoluptates habent cum illis, in quibus fiunt, actionibus: fines enim quodammodo sunt ipsarum: perspicuum, quod eodem pacto, ac actiones, diuidentur & ipsæ. atqui earum actionum, in quibus sunt voluptates, illæ quidem sunt expetendæ, hæ uero fugiendæ: habebunt igitur & voluptates eandem inter se differentiam. quod si hoc, non sunt eiusdem speciei. etenim, si plurimum distat quod cupit, & desiderat aliquid, & nondum ipsum habens ab habente, atq; unà cum eo existente, distabit quoq; plurimum uoluptatis cupiditas ab actione, in qua est ipsa uoluptas: cupiditas enim uoluptatis est. unà uero cum actione existit uoluptas: sequitur enim. quare, si, ac cupiditates, diuiduntur pariter ipsæ uoluptates, multo magis pariter ac actiones diuidentur. confessum autem est actionum, in quibus uoluptates, illas quidem expetendas, has uero fugiendas esse. Quod autem affines sint uoluptates actionibus, in quibus fiunt: & pariter, ac actiones, ipse quoq; specie inter se differant: & non tantum, quia in diuersis fiunt actionibus, differant ipsæ inter se, constat ex hoc, non posse uoluptatem in aliqua alia actione in alia factam iri. temperato enim intemperatorum actiones non solum sunt fugiendæ, sed etiam molestæ: tanquam quod propria sit actionibus uoluptas, atq; pariter, ac ipsæ, diuidatur. nisi enim hoc esset, nihil utiq; impediret actiones quidem fugiendas ipsis esse, uoluptatem tamen & temperatis ipsas afferre. si uero uoluptates in aliis actionibus impediunt eas, quæ in aliis fiunt, (qui enim uoluptate, quæ à tibiæ cantu prouenit, delectantur, non item, postquam ipsum audierint, delectari possunt his, quæ in fabulando exempli gratia fiunt,) erunt utiq; uoluptates uoluptatum corruptiuæ. quod si sint uoluptates uoluptatum corruptiuæ, non utiq; eiusdem speciei erunt: cum hoc inuicem habeant, quod contraria inter se habent. Non enim quemadmodum eadem sanitas efficitur ab his, qui eisdem diuerso medentur modo: & nihil uetat aliquem eandem possidere sanitatem interdum alio modo curatus: ita quoq; se habet in actionibus, & in eis, uoluptatibus. non enim possibile eam uoluptatem, quæ in alia quadam actione fit, etiam in alia factam iri. non enim possibile in temperatis actionibus uoluptates in intemperatis quandoq; factas iri.

*Quod inter iustitiam, atq; iniustitiam, ex omnino uirtutem, ex uitium est aliquis habitus.*

*Caput tertium.*

**Q**uod inter iustitiam, & iniustitiam, & omnino uirtutem, & uitium est aliquis habitus, quem medium habitum dicimus. Si iustitia & iniustitia dispositiones secundum ipsos sunt: dispositiones uero remoueri non possunt: neq; ex iniusto fieret aliquis iustus, neq; ex iusto iniustus: fiunt autem aliqui iusti, & iniusti, cum prius non essent: fiunt igitur ex aliqua alia constitutione: atqui omne, quod fit, aut ex contrario, aut ex aliquo inter contraria existente: & iustus itaq; & iniustus aut ex contrario fiunt, aut ex eo, qui inter eos est: non fiunt autem ex contrario, igitur ex eo, qui inter eos est: ex qua autem constitutione iusti, & iniusti fiunt, ea utiq; erit inter iustitiam, & iniustitiam. eadem quoq; ratio & in omni uirtute, & uitio. Si uero dicerent uitia non esse dispositiones, neq; quæ remoueri possint: sed immutari quosdam nihil uetare ex iniustitia in iustitiam, omninoq; ex uitio in uirtutem: sed in uitium unde immutantur: aut enim oportet in hominis natura uitium existere, & omnes nasci malos: essetq; uitium hominibus secundum naturam: cuius autem contrarium secundum naturam alicui, huic contrarium est præter naturam: præter naturam igitur hominibus iustitia, & uirtus. quod si hoc absurdum, fieri oportet iniustum iniustum, quemadmodum fit & iustus. ex quo autem habitu in iniustitiam est mutatio, is erit utiq; medius. Si uero dicerent pueros nondum rationales esse, propterea neq; iustos



neq; iniustos : rationalis enim sunt habitus hi : quod si hi rationalis , & medius : idcirco omnis puer , cum irrationalis existat , neq; in uirtute , neq; in uitio , neq; in eo , qui inter hæc , ueluti nec irrationalium aliud aliquod : ) cum autem in rationale mutantur , mox esse malos , sed non fieri , per hæc faterentur rationali secundum naturam inesse iniustitiam , uitiumq; : quandoquidem in mutatione in rationale , simul & in hæc mutantur : & par est in rationale ei , quod est in uitium mutari : præter naturam igitur ipsi rationali est uirtus . Præterea quoq; , si mutatio prorsus est ex uitio in uirtutem , uitium uel facile mobile , facileq; abiicibile dicent , uel stabile , & cum difficultate mobile . sed si quidem facile mobile , cur non facilis est ex uitio in uirtutes mutatio? si uero cum difficultate mobile , stabileq; , planum quòd , in mutatione in uirtutem , oportet ex ipso uitio , ipsum , quod cum difficultate mobile , stabileq; primo abiectum fuisse : quandoquidem per disciplinam atq; exercitium , non autem repente in uirtutem mutatum est . sed si primo fit facile mobile : erat autem ipsi uitio esse in eo , quod est cum difficultate mobile : in quo est facile mobile non amplius in eo , ut uitium , erit . at uero neq; uirtus . quo pacto igitur est in medio quodam habitu is , qui ita se habet : quoniam & mutatio in uirtutem ex hac gignitur dispositione ? Præterea , & si quàm maxime pueri nondum sunt rationales : & propter hoc neq; uirtutem , neq; uitium habent : sed quia ipsi ex ita irrationabilibus rationales , atq; mali fiant , essent utiq; in medio habitu . non enim similiter hi , ac alii irrationales : neq; enim ipsi suscipere uitium possent , uel uirtutem . si uero neutrum habentes possunt utrunq; ipsorum suscipere , non sunt eo pacto irrationales . irrationale itaq; rationis susceptuum , cum aliud sit ab eo , quod suscipere non potest , alio utiq; modo irrationale fuerit , & non ita proprie irrationale . Iam uero & constitutio hoc pacto irrationalis medius utiq; habitus erit : quoniam occurrit in utrunq; contrariorum mutatio : & ita est potentia utrunq; extremorum , ut nullum actu sit . est enim quidam & in puero habitus , & constitutio , à quo in uitium , & uirtutem mutatio : qui de nullo eorum , quæ proprie , simpliciterq; irrationalia sunt , dicitur .

*Difficultatis solutio dicentis , instrumento quidem nihil esse contrarium , diuitiis uero paupertatem contrarium , propterea non esse diuitias instrumentum . Caput quartum .*



**I** NSTRUMENTO nihil est contrarium : diuitiis uero est aliquid contrarium : non igitur diuitiæ instrumentum . Siquidem uniuersaliter assumat nulli instrumento esse aliquid contrarium , non concedendum : eò quòd , & diuitiis , instrumento existentibus , uideatur aliquid esse contrarium . si uero indeterminate , atq; in parte assumat , ostendendum quòd non syllogizat : fiunt enim utraq; propositiones in parte . tunc enim necessario uniuersaliter assumeretur non esse aliquid instrumento contrarium , si in ratione , substantiaq; instrumenti nihil ipsi esse contrarium appareret . si uero non est in substantia instrumenti non esse aliquid ipsi contrarium , sed accidens quoddam , nil prohibet hoc non omnibus accidisse . neq; enim quia multis finitorum inest penes aliquid finiri , iam & omnibus . Verum cum instrumentum sit , per quod uel solum aliquid , uel optimum fit , si in substantia est instrumenti , omnia utiq; erunt instrumenta , quibus hoc inest , & omnibus hoc instrumentis . idcirco quoniam & diuitiis hoc inest : propter has enim liberales , magnificæq; operationes studioso insunt : erunt utiq; studioso instrumentum . ab his enim , quæ sunt in instrumenti substantia , instrumenta iudicantur , quemadmodum & in aliis omnibus , non ab accidentibus . Ostendet autem quis & quòd propositionum neutra recte assumpta est : neq; quæ assumit in instrumento nihil esse contrarium : neq; quæ dicit diuitiis esse aliquid contrarium . Si enim , quia toti , & ex utroq; composito instrumento nihil est contrarium , propter hoc neq; ferræ , neq; citharæ dicat quis esse aliquid contrarium : neq; igni erit secundum ita dicentem aliquid contrarium , neq; alicui aliæ compositæ substantiæ : eò quòd materiæ omnibus huiusmodi subiectæ nihil sit contrarium . Si uero secundum passionem , qualitatesq; sit contrarietas : igni enim secundum caliditatem , siccitatemq; sunt aliqua contraria : & ipsius securis , si qualitates , per quas est ei esse , sumptæ fuerint , inueniet secundum has ipsi contrarietatem aliquam : acuto enim obtusum contrarium , graui uero leue : indiget autem ipsa & grauitate , & acutie : eadem & in aliis instrumentis ratio : neq; diuitiis itaq; recte assumptum fuerit esse aliquid contrarium . paupertas enim non est diuitiis contraria , sed diuitiarum absentia , atq; priuatio . sanitas uero non , ut in

strumentum, bonum, sed ut corporis uirtus, ex quo, & anima homo. Si uero quis diceret priuationem huiusmodi, à qua possibile est habitum genitum iri, rursus contrarium, omnibus hic generabilibus esse aliquid contrarium diceret, non solis instrumentis: in omnibus enim est huiuscemodi priuatio.

*Difficultas, quod communis uoluptas, quæ ut genus assumitur, neq; bonum est, neq; malum, neq; indifferens. Caput quintum.*



**I** C O M M V N I S uoluptas, quæ ut genus assumitur, neq; bonum est, neq; malum: quia illa quidem ipsius bonum est, hæc uero malum: commune enim non est unum aliquod eorum, quæ sub communi sunt: neq; indifferens erit: siquidem sunt quædam etiam uoluptates indifferentes, ueluti & illæ quidem bonæ, hæc uero flagitiosæ. Hæc autem quis quæsiuerit & in actionibus, quarum fines sunt quodam modo ipsæ uoluptates: propterea pariter ac ipsæ diuiduntur. Si enim actio, illæ quidem bonæ sunt, hæc uero flagitiosæ, aliæ autem indifferentes, communis actio, & quæ ut genus assumitur, neq; bonum, neq; malum, neq; indifferens erit: atqui omne ens necesse uel bonum, uel malum, uel indifferens esse: aut omne ens subsistit, & per se esse potest. Si uero aliquod commune fuerit, sub quo hæc omnia sunt, id non item horum aliquod esse potest, eò quod omnia sub se ipso habeat. nec enim, quia omne, quod subsistit animal, aut rationale est, aut irrationale, ob hoc & ipsum commune, quod ueluti genus de subsistentibus prædicatur, in altero horum est. neq; igitur communis uoluptas, neq; communis actio erunt uel bonæ, uel malæ, uel indifferentes: omni uoluptate, omniq; subsistente actione horum aliquod habente. Quoniam autem uoluptates pariter ac actiones, in quibus fiunt, diuiduntur: & succedentes, sequentesq; bonas actiones bonæ sunt, flagitiosas uero flagitiosæ, ipsasq; indifferentes indifferentes: quæreret aliquis quo pacto oportet de dolore dicere: quoniam ipse uoluptati contrarius. si enim & hunc diceret quis pariter ac actiones, in quibus fit, diuidi: primo quidem quonam modo diuisio erit? utrum eos, qui in bonis actionibus fiunt malos dicemus, qui uero in flagitiosis, bonos, qui autem in indifferentibus indifferentes? Aut absurdum dicere in bono esse eum, qui ob malas, quas operatur actiones, dolet: in malo enim talis: quo enim pacto non in malo, qui in talibus est actionibus? Deinde uoluptas quidem rationabiliter pariter ac actiones, quæ ipsam antecedunt, diuidi uidebatur: per affinitatem enim ad ipsas gignebatur: & ueluti ipsarum quidam finis erat: dolor uero alienationis est signum ab his, in quibus gignitur. An rationi per se consentaneum eum, qui in bonis actionibus fit, malum esse, quia à bonis est alienus: & propter hæc eum, qui in malis bonum, quia à malis est alienus: & quia talem dolorem bonum dicens, non ipsas actiones, in quibus fit, bonas esse ponit, sed alienationem à talibus actionibus, casibus ue; atq; euentibus. An prorsus absurdum est dolorem hoc pacto diuidere: uideretur enim dolor sui ipsius natura malum esse his, qui ipsum habent. sed si dolor malum: contrarium uero malo bonum, aut malum: oportebit & uoluptatem, cum sit dolori contraria, bonum, uel malum esse. inuentum est autem, neq; omnem bonum, neq; omnem malum esse: erat enim quædam & indifferens. Num igitur bona quidem ita erit dolori contraria, ut bonum malo, flagitiosa uero, ut malum malo? Sed si hoc pacto, quomodo opus est de indifferente dicere? gignebatur enim in indifferentibus actionibus, quæ non erit dolori contraria. erit enim ita malo non solum malum, & bonum contraria, sed etiam indifferens: quod minime uideretur. An oportet uoluptatum in uniuersum diuisionem facientem assumpsisse aliquas quidem ipsarum secundum naturam esse his, qui ipsis delectantur, aliquas uero præter naturam. secundum naturam quidem eas, quæ in actionibus, quæ secundum naturam fiunt, gignuntur: præter naturam uero eas, quarum actiones sunt eiusmodi. unicuiq; enim animali sunt quædam proprie, & naturales ipsorum actiones. hominis enim sunt actiones quædam secundum naturam hominis factæ, & æqui secundum naturam equi, canisq;, & aliorum animalium consimiliter. quorum etiam uoluptates secundum naturam, & illis proprias dicere oportet: quæ uero in quorundam actionibus non secundum propriam ipsorum naturam fiunt uoluptates, præter naturam: quapropter & æqui uocas illas. quarum illas quidem singulis secundum naturam, uoluptatesq; proprie esse dicendum: has uero præter naturam illis, qui eis delectantur uoluptatibus. quemadmodum & salubria, illa quidem simpliciter, hæc uero hisce. & uere quidem;



propriaeque uoluptates ipsas his, qui eis delectantur, bonas esse dicendum: eas uero quae praeter naturam fiunt, quibusdam, cum non sint simpliciter uoluptates, flagitiosas, malasque. Si itaque homo maxime, & secundum naturam se habens maxime qui bonus, erunt & homini secundum naturam uoluptates maximae eae, quae huic uidentur: & iucunda, quibus hic gaudet: quaecumque uero huic molesta, haec praeter naturam, & non simpliciter iucunda: & si in ipsis aliqui delectentur. Differant autem & a uoluptatibus, quae unicuique sunt secundum naturam, eo quod ipsarum, illae, quidem magis, haec uero minus propriae sint. sic autem erit dolor, cum sit malum, proprie, simpliciterque uoluptas contraria: cum omnis bonum sit, & si non eodem modo: quae uero praeter naturam, neque uoluptates simpliciter, neque bonae. erunt autem. & in indifferentibus eiusmodi: neque enim indifferentia in his, quae secundum naturam sunt. uoluptati uero dolor contrarium, non autem labor: siquidem labor anxietatem corpoream indicat, & dolorem quandam, sed non eum, qui simpliciter: dolor uero, qui uniuersalis, talem animalem dispositionem significat, siue in anxietate corporea, siue in animali dispositione fiat: quem admodum & uoluptas non corporea tantum, sed & animalis. Communi igitur uoluptati dolor communis cum sit contrarium: uoluptas uero in his, quae praeter naturam sunt, uoluptatem secundum naturam, cum sit bonum, corrumpens, eodem modo ac proprius dolor, erit & ipsa contrarium, ut malum malo: tanquam enim excessus defectui. ut sit omnis quidem dolor malum: uoluptatum uero, illas quidem secundum naturam, & proprie uoluptates, ut bona, contrarias esse doloribus, has uero, quae praeter naturam, ut malum malo.

*Quod uoluptati dolor est contrarium, non autem labor.*

*Caput sextum.*

**Q**UOD uoluptati dolor est contrarium, non autem labor. labor enim corpoream quandam anxietatem indicat, dolor uero animalem contractionem. Si igitur & omnis uoluptas esset in corporea dissolutione, esset utique labor eius contrarium. quoniam autem uoluptas est dissolutio quaedam ipsius animae, non propter corpus, neque in corpore solo facta, non utique erit huiusmodi uoluptatis labor contrarium, sed dolor. dolor enim & in anxietatibus corporis, & ipsius animae, in seipsa, quemadmodum & uoluptas: labor autem in corpore solum. quocirca simpliciter quidem uoluptati erit dolor contrarium, alicui uero uoluptati ea, quae ueluti labor. Corporeae enim dissolutioni, & corporis robori, & uoluptati, quae in his, erit utique corporis anxietas, dolorque contraria. qui uero dicitur animae labor, quemadmodum dicuntur quidam laboris amatores, neque ab initio contrarius est uoluptati, cum uoluptate siquidem fit. si uero quis in laborando dolorem perciperet, dolor utique, non labor contrarium uoluptatis esset. Cum autem sit dolor uoluptati contrarius: omnis quidem dolor rationabiliter malum dicitur: suapte enim natura est fugiendus: uoluptas uero non omnis est bonum: sed quaecumque quidem actiones, in quibus est uoluptas, excessum habent, habebunt pariter excessum & quae in ipsis uoluptates: tales uero corporeae sunt. Quocirca harum quidem commensuratae expetendae, quales sunt, & quae circa corpori necessariae: expetenda enim & necessaria: excedentes uero fugiendae, quales sunt quae intemperatorum. eritque in ipsis & dolor, ueluti defectus quidam, malum, & excedens uoluptas ueluti excessus quidam: commensurata uero bonum in mediocritate quodammodo existens eorum, quae antea dicta sunt. Quarum autem uoluptatum non est excessus: tales uero sunt, quaecumque in actionibus fiunt, quarumcunque expetendum ex incremento, additioneque crescit, quales sunt, quae secundum uirtutes fiunt: in his neque actionibus, neque uoluptatibus erit excessus aliquis. quocirca huiusmodi expetendae, bonaeque propria natura omnes.

*Cur, si dolor omnis sui ipsius natura malum, non etiam uoluptas omnis est sui ipsius natura bonum.*

*Caput septimum.*

**Q**UOD, si dolor omnis sui ipsius natura malum, non etiam uoluptas omnis sui ipsius natura bonum est. uel enim oportebat uoluptatem omnem malum esse, cum sit dolori contraria, ueluti malum malo: uel si non, ut fugiendum, neque malum ipsa uoluptas, sed, ut bonum, malo opponitur, omnem bonum esse. si enim esset aliqua uoluptas malum, esset utique inter dolores, cum sint omnes mali. An uoluptas, cum sit dolori contraria, illa quidem, ut malum malo, contraria, haec uero, ut bonum

Alex. Aphro. Quae

I iii



malo: quoniam ratione indiget. Aut neq; omnis dolor malum: quandoquidem, & in his uirtus est medii coniecturatiua: familiaresq; sunt studio & dolores aliqui, & labores. Erit autem communior labor ipso dolore: quidam enim labor est dolor. etenim quemadmodum uoluntas actiones sequens, & pars quodammodo, uel finis ipsarum existens, ab illis habet ipsum expetendum, ipsumq; fugiendum: expetendæ enim, quæ in expetendis actionibus, fugiendæ uero, quæ in non eiusmodi: eodem pacto rationabile & dolores suspicari in actionibus quibusdam factos, eosq; ab illis ipsum expetendum, atq; fugiendum possidere, e contrario quam uoluntates: eos enim, qui in honestis actionibus fiunt, fugiendos esse: eos uero, qui in turpibus, expetendos. Si uero sunt dolores quidam expetendi, & labores, erunt utiq; & uoluptates fugiendæ, quæ his doloribus contrariæ: contrariæ autem uoluptates doloribus, quæ in talibus actionibus fiunt: & propter hoc non omnis uoluptas est bonum, quia neq; omnis dolor malum. Dicebatur autem aliquid & huiusmodi, quod neq; supponentibus omnem dolorem esse malum sequi id necesse erat, aut omnem uoluptatem esse bonum, aut omnem malum: eo posito, dolorem uoluptati esse contrarium. in quibus enim uoluptatibus excessus quidam sunt, in his sunt & expetenæ uoluptates quædam, & fugiendæ: mediæ enim expetendæ: quæ uero secundum excessus prauæ: habent autem hoc corporeæ uoluptates. in quibus uero non sunt excessus, eò quod & illæ, cum magis ac magis fiant, in expetibili permanentiam habent, illæ omnes expetendæ, quales sunt, quæ in contemplatiuis actionibus. Sunt autem quædam etiam præter naturam uoluptates, quales sunt bestiales, & morbificæ, de quibus in septimo Ethicorum dictum est: quæ neq; proprie hominis uoluptates dici possunt, cum non sint secundum naturam, neq; expetendæ. Cum autem sic se habeant uoluptates, omnibus quidem ipsis contrarium erit dolor, ut malum, cum ponatur omnem dolorem esse malum: uoluptatum uero, quæcunq; quidem sunt præter naturam, hæc, ut malum malo, dolori erunt contrariæ, si quis & has in uoluptatibus enumeraret: quæcunq; uero excessum habent, in his, hæc quidem, ut bonum, contrariæ erunt dolori, quæ in mediocritate, rectaq; ratione præfinitæ: quæcunq; uero per excessum, in quibus & illæ, quæ intemperatum, hæc sanè, ut malum malo: quarum uero non est excessus, hæc erunt omnes, ut bonum malo, dolori contrariæ.

*Quod uirtus neq; genus, neq; totum.*

*Caput octauum.*



**Q**uod uirtus neq; genus, neq; totum. Non genus quidem: quoniam genus non simul aufertur una specierum ablata: uirtus autem simul cum una aufertur. siue enim mutuo uirtutes se sequantur, quacunq; ablata, aufertur etiam uirtus: eritq; & una aliqua specierum consimiliter alias species simul auferens: quod neq; uerum esse uidetur. si uero non se sequantur, prudentia ablata, auferetur utiq; uirtus: cum ipsarum omnium esse in recta ratione consistat: recta uero ratio à prudentia. Totum etiam non erit ipsa uirtus: quoniam pars in his, quæ dissimilium sunt partium, totius rationem minime suscipit: differunt autem inter se uirtutes: uirtutisq; rationem suscipiunt. An in quibus illud quidem primum est, hoc uero secundum, ut primo ablato auferatur & ipsum commune, & alia, quæ post ipsum, hæc sunt eorum, quæ dicuntur multipliciter, eorum scilicet, quæ ab uno, & ad unum dicuntur: quare si & ipsa uirtus, una aliqua cum aufertur, auferretur, esset utiq; & ipsa eorum, quæ ita dicuntur. An magis dicendum uirtutis rationem, quæ uidetur uniuoce de uirtutibus prædicari, communiorem esse, & non totius uirtutis propriam, cuius ipsæ sunt partes. erit autem illius ratio, omnis rationalis animæ optimus habitus: quæ ratio non unicuiq; uirtutum congruit. Videtur autem & Aristoteles totum quid dicere ipsam perfectam uirtutem, non autem genus. De dubitatione hac etiam in sequentibus aliquid dicitur.

*Quod non omnes, qui peccant, ignoratione quod mala, & damnosa sint, quæ faciunt, peccant.*

*Caput nonum.*



**Q**uod non omnes, qui peccant, ignoratione quod mala, & damnosa sint, quæ faciunt, peccant, manifestum est ex his, qui se peccare crediderunt, neq; seipso cohibent propter ignauiam, atq; inertiam: inter quos sunt, & ægrotantes, damnosaq; sibi facientes, non ignorant qualia sint. quoniam enim non ignorant, seipso increpant: ab eis, qui non eadem peccant, opem petunt: præcantur deos, ut



melius sapiant . inter quos sunt & amantes : qui , si amare in ipsis est , atq; ab amoribus desinere , libentes agerent res amoris . Sed & ex peccare incipientibus perspicuum est . nullus enim ipsorum ignorans mala , quòd mala sunt , ad ipsa initio pergunt : omnes siquidem incipientes uerecundantur , & latere contendunt , & quasi non iterum similia facturi ad illa pergunt : credentes quidem se aliqua in re lesos iri , cedentes uero uoluptati : non quia credant eligibiliorem ipsis esse , sed quòd nolint paululum laborantes ipsi obsistere . Quòd autem hanc de malis habeant existimationem , ut ipsorum notionem habeant qualia sint , causam primam quidem ipsam naturam habent : non enim ignari sunt meliorum , qui nondum prorsus peruersi sunt , & deprauati : sed communes , naturalesq; seruant notiones . Quòd enim ad meliora propensa est uniuscuiusq; natura , perspicuum est ex hoc , quòd & ii , qui in peccatis uersantur , iam etiam eos , qui non peccant , laudant , & quòd peccantes filios suos non ad eadem inducunt . Satis autem idonea est communis uox , & existimatio hominum , malorum absurditatem , qualisnam sit ut doceret . Sed & leges hoc proclamantes satis meliora docere possunt . Adhæc magistri , & pedagogi omnes unà mala euitare admonentes , non ignaros pueros meliorum esse sinunt . Et quòd quidem non malorum ignoratione peccant ex his , & huiusmodi manifestum est . Quòd autem neq; ui uitiosa agant perspicuum ex hoc , quòd ipsi ea agant , & ex suo impulsu instrumentales partes ad tales actiones moueant , & consulentes de ipsis , & ea eligentes . si enim eligentes coguntur , quoniam erunt non coacti ? Si uero in habitu iam , & consuetudine peccatorum existentes , neq; se ipsos pudet mala agere , leges quoq; despiciunt , non putantes mala esse mala , nihil hoc , ut ipsa sint inuita . quòd enim talem habitum acquisuerint , ut non putent mala , & sibi ipsi malorum sunt authores : quandoquidem , cum in eorum facultate sit hæc non agere , effecti sunt tales , cum non aduerfarentur . Si uero ipsis quidem peccare incipientibus non uidebantur mala utilia , atq; expetenda : in ipsis autem cum processerint , & per ipsorum negligentiam habitum acquisuerint , expetenda huiusmodi apparent , sibi ipsis essent talis ab ipsis profectæ apparentiæ authores : existentes sibi ipsis talis habitus authores , per quem huiusmodi de malis habent existimationes . Hæc autem testatur & illud , odio haberi , puniriq; eos , qui ita peccant , tanquam sponte , & sibi ipsis talium actionum existentes authores : illis , qui tale aliquid coacte egerint , ueniam consequentibus . cur enim , si omnia inuita , quædam ipsorum ueniant consequuntur , quædam uero non ? Si enim , quia ipsi qualia sunt discentes , poterant ab eis abstinere : siquidem hoc scientes negligebant illud , ipsi rursus authores , libentesq; tales sunt . si uero illud ignorabant , quo pacto & ipsi non uenia digni ? Satis autem idonea persuasio , quòd neq; ui , neq; meliorum ignoratione peccantium aliqui peccant , propterea quòd neq; dolent , neq; pœnitent eos peccatorum : quæ enim inuitæ aguntur cum dolore sunt , & in pœnitentia . Quòd uero , si inuita sunt peccata , neq; in nobis erunt , perspicuum est ex hoc , quòd inuita quidem sunt ea , quæ ui : quæ uero ira , aut cupiditate committuntur peccata , ui peccantes facere aiunt : quapropter quæ ira , aut cupiditate committuntur peccata non in nobis . Si itaq; supplicia pro iis , quæ sunt in nobis , ira uel cupiditate peccantes iure minime punientur : quæcumq; uero ex ignoracione committuntur peccata , hæc , siquidem ipsi sibi ignorantia sint authores , in ipsis erunt . Erunt autem ipsi sibi ignorantia authores , si , cum possint , ipsi ad meliora conuersi , non acquirere talem habitum , quo bona sint ignoraturi , ipsi hoc neglexerunt . atqui non poterant ipsi aliter ad meliora conuerti , nisi quandoq; opiniones quasdam de bonis , quòd huiusmodi sint , habuissent . si enim mala ipsis semper bonorum speciem mittebant , non poterant ipsi illa non eligere . atqui opinantes de bonis , ut bonis , tum ipsa non eligentes , uolentes peccant : neq; enim ui , neq; ignoracione meliorum electionem despexerunt : quare ut in ipsis est ipsum peccare , ita & uoluntarium . Si uero non sunt ipsi ignorantia authores , neq; in ipsis erit per ignorantiam peccare . sic autem peccantium nullus iure punietur , siquidem supplicia sunt pro iis , quæ sunt in nobis : nullum uero peccatum in nobis , siquidem inuitum , omne uero inuitum , aut per ignorantiam , aut ui .

*Quod homo uirtutum gratia , non autem econtra .*

*Caput decimum .*



**S** I I N his , quæ natura fiunt , est aliquid , cuius gratia fiunt ea , quæ fiunt : id autem , cuius gratia fiunt aliqua , finis est illorum : in his , quæ natura fiunt , finis aliquis erit : atqui finis his , quæ eius gratia fiunt , melior est : quare & fines eorum , quæ natura fiunt , his , quæ illorum gratia , meliores . est autem & homo eorum , quæ natura fiunt : quare est aliquis & huic finis , & hic eorum , in quibus hic



melior. finis uero hominis est studiosum hominem factum iri: huius gratia homo: studiosum uero factum iri est hominis habere uirtutes. uerum non potest homo uirtutes possidere, nisi prius homo fiat: homo igitur uirtutum possessionis gratia, sed non uirtutes hominis. quapropter & melior, qui uirtutes possedit, homo homine, qui sine his est. non enim fiunt uirtutes. non enim eas ueluti prædium, uel mancipium, uel domum acquirimus: sed uniuscuiusque uirtutum generatio est in ipsarum possessione. si uero ipsarum generatio est in possessione, & ipsi esse in hoc est: est autem finis nobis ipsarum possessio: erunt & uirtutes nostrum fines, nosque harum gratia. quocirca & nobis meliores uirtutes, propterea quod & nostrum finis in uirtutum præsentia, & possessione.

*Quod non multipliciter ipsum inuitum, quoniam ex ui, ex per ignorantiam.*

*Caput undecimum.*

**Q**UEM AD MODUM non dicitur animal multipliciter, quoniam illud quidem ipsius rationale, hoc uero irrationale: sed neque uitium multipliciter, quia illud quidem per excessum, hoc uero per defectum: pariter neque inuitum multipliciter, quia illud quidem ui, hoc uero per ignorantiam: partes enim, uel species inuiti hæ. Si uero non multipliciter ipsum inuitum, neque propter hoc item calumniam pateretur locus uolens, si contrariorum alterum multipliciter, & alterum multipliciter: non multipliciter autem uoluntarium, inuito ipsi contrario multipliciter dicto. neque enim uitium multipliciter, quoniam illud quidem est in excessu, hoc uero in defectu: genus enim quoddam ipsum uitium est in speciebus, excessu inquam, & defectu. & quemadmodum uitium quidem utrunque, & quod in excessu, & quod in defectu: (non tamen & uirtus iam duplex, utraque uitiorum propria quædam opposita: non enim sufficit uirtuti non esse in excessu, aut rursus non esse in defectu: sed opus est, si futura sit uirtus, in neutro esse ipsorum:) sic & inuitum in utriusque eorum, in quibus inuito est esse, oppositione simul esse habet. oportet enim uoluntarie aliquid agentem in seipso eorum, quæ aguntur, principium habere, atque etiam singula cognoscere: quorum, tum id quidem, quod ui, tum uero hoc, quod per ignorantiam destructiuum est. quocirca simul utrisque inuiti partibus opponitur uoluntarium, cum illæ unâ existere non possint. non enim possibile est ui aliquid agentem, aut patientem, & ignorantem singula peccare. nihil enim ad inuite agendum eos, qui ab aliquibus coguntur, confert singularium ignorantia, uel cognitio. Non interimitur autem locus, neque ob hoc, quia amare quidem multipliciter dicitur, odio uero habere ipsi contrarium existens non etiam multipliciter dicitur. Si enim esset odio habere cuiusque amare contrarium, nec diceretur multipliciter, interimeretur utique locus: si uero ipsum odio habere soli amare, quod est secundum affectionem contrarium est, non item & ipsi amare, quod est per osculum, locus non patitur calumniam. tunc enim calumniam pateretur, si cum cuiusque, quod significatur ab eo, quod multipliciter dicitur, esset aliquid contrarium, non diceretur etiam ipsum multipliciter. albo enim multipliciter dicto nigrum contrarium multipliciter dicitur: quoniam omnibus, quæ ab albo significantur, contrarium est: etenim albo, quod in colore, & quod in uoce, nigrum contrarium. quod si solum esset alteri ipsorum contrarium, neque ipsum multipliciter diceretur.

*Textus cuiusdam expositio ex Tertio Ethicorum ad Nicomachum Aristotelis.*

*Caput duodecimum.*

**I**DETVR itaque uiolentum esse, cuius est principium foris, nihil conferente illo, cui uis est illata. Quod illud, in quod nihil confert agens, aut patiens, dixit in antecedentibus pro eo, quod est, ille, cui uis est illata, per id, quod nunc dictum est, ostendit, cum mutasset, neque amplius dixisset, nihil conferente agente, aut patiente, sed pro his dixisset, illo, cui uis est illata: aliquando enim agere dicimus, aliquando pati: etenim ille, cui uis est illata, egit, & ui passus est, dicimus. principium autem dicit esse foris in illis, quibus uis infertur, effectiuum: finalis enim causa, & cuius gratia foris existens est in omnibus, quæ aguntur: siquidem omne agens agendi gratia, quod agit, quod est extra ipsum. Præterea, neque erit in his, qui ui aliquid agunt, aut patiuntur, finalis causa. non enim ille, cui uis ab aliquo infertur, finem aliquem sibi propositum habet, cuius gratia



ab inferente uim cogitur. uim enim alicui inferenti, & hoc agenti finis aliquis propositus est, & propter illum huic uim infert, ipsi uero nullus. uiolenta uero patientes sunt, extra quos est effectiuum principium, nihil in id, quod fit, conferente eo, qui patitur, & coagente: ut ostendit fieri in nauigantibus, cum à spiritu aliquo impulsu fuerint: & ab his, qui domini sunt, deuietosq; ducunt quacumq; eis uisum fuerit. non autem, si quis coactus ab aliquo mouere instrumentalium particularum aliquam motu aliquo conferente ad id, quod ui fit, iam hoc conferet ad id, quod ui fit. non enim si quis ab aliquo impulsus, crura mouens, in aliquem incideret, aut aliquid deiceret, iam diceretur ad id, quod fit, conferre. sed siquidem proprio impulsu, atq; proposito hoc aget, iam utiq; conferet. si uero per assuetam aliquam naturalemq; crurium translationem moueretur, non item: quod dixit Aristoteles per id, Etenim principium mouendi instrumentales partes in huiuscemodi actionibus in ipso est. qui enim onera ex nauisui ipsius manibus in mare propter periculum proiicit, non quia manus mouet, libens facit, sed quia præeligens hoc agere, ita id agit. non item & qui propter uoluptatem agunt, ui: quoniam ipsi, quæ agunt, propter uoluptatem agunt, sed non foris efficiens ipsum habent: iucundum enim tanquam finis, & intentio causa est, sed non ut efficiens.

*Quod propria sit uoluptas actioni, in qua fit. Caput decimumtertium.*



QVOD propria est uoluptas actioni, in qua fit: & non est uoluptas omnis eiusdem speciei, numero solo alia ab alia differens, uoluptatum uero effectiua differunt: sed uoluptates similiter etiam inter se differunt, ueluti & ipsarum effectiua, aperitissime ostendit Aristoteles, ostendendo proprias actiones, in quibus fiunt uoluptates, actiones, in quibus fiunt, adaugere. uoluptas enim in exercendo Geometriam actiones geometricas adauget, & in exercendo cytharam cytharisticas, tanquam habentes ad ipsas proprietatem, inter seq; differentes, pariter ac actiones, in quibus fiunt. Si enim eadem fuissent uoluptates, non illa quidem illas, hæc uero has actiones adauxisset. Quibus enim propositum est pecunias accumulare, quibus actionibus hoc eis adesse posse opinantur, has agunt, & quibus magis, magis: tanquam quod unum, idemq; aliquid à diuersis actionibus acquiratur. quapropter ipsi propter diuersa pecunias acquirunt, & non magis propter hæc, quam propter illa, quæ opes, diuitiasq; comparandi uim habent. In uoluptatibus uero non ita. non enim, ut ab omnibus uoluptatis effectiuis, eadem adueniente uoluptate, per quæ maxime fit, hæc quærunt: sed ueluti aliis existentibus iis, quæ in diuersis actionibus fiunt, eas, quæ in his fiunt, expetunt, molestasq; habent, & ægreferunt actiones, uoluptatesq; ipsos ab hisce actionibus abducentes: tanquam uoluptates sibi propositas impediens, quia actiones, in quibus fiunt, impediunt: corrumpunt enim se mutuo, quemadmodum actiones, in quibus uoluptates, ita quoq; & uoluptates, quæ in ipsis. Atqui si essent eiusdem speciei uoluptates omnes: actionesq; expeteremus gratia uoluptatum, essent quàm maxime expetendæ actiones, quæ maxime uoluptatem efficiunt. si uero non ab ea, quæ fit, uoluptate ipsas efficientes actiones, sed e contrario ab actionibus uoluptates iudicamus, neq; propter uoluptates actiones expetendæ erunt, neq; eiusdem speciei inter se erunt. Præterea, si quod facimus, in quibus dolore afficimur actionibus, (ab operando enim eas desistimus,) hoc in ipsis facimus, quando quibusdam aliis delectamur actionibus, perspicuum proprias esse actionibus illas, quæ in his fiunt, uoluptates. Insuper, si temperatis turpes actiones dolorem afferunt, uoluptatem uero temperatæ, atq; honestæ, intemperatis uero opposito modo, non erunt quæ à turpibus eiusdem speciei cum his, quæ ab honestis. Non simile est hoc in pecuniis: non enim prudentibus, & temperatis lenocinia paupertatis causa, intemperatis uero opulentia, sed etiam temperatis eiusdem opulentia causa essent, si ipsa exercere perferrent. in uoluptatibus enim, non solum turpes actiones sunt fugiendæ: sed etiam præter hoc, quod nullam ipsis afferant uoluptatem, ipsis etiam doloris sunt causæ.

*Quo pacto defendetur esse aliquod medium uoluptatis, & doloris. Caput decimumquartum.*



QVO pacto, si uoluptas actio est habitus secundum naturam non impeditus, ut dixit in septimo Ethicorum ad Nicomachum, quæ uero impediuntur molestæ, poterit à uoluptate doloris carentia separari? in quibus enim actionibus erit: neq; enim in non impeditis, neq; in eis, quas agimus impediti. Eadem uero difficultas sequetur etiam ad dicta ab eo in ultimo de uoluptate, per ea quæ dicit.

Alex. Aphro. Quæ.

K

„ Sensu uero omni erga sensibile operante, perfecte uero recte disposito ad optimum eorum, quæ  
 „ illi subiiciuntur: talis enim maxime esse uidetur perfecta actio. ipsam uero dicere agere, aut id,  
 „ in quo est, nihil differat. in unoquoque uero optima est actio optime dispositi ad optimum eo-  
 „ rum, quæ sub ipsa: hæc enim perfectissima erit, & iucundissima: in omni enim sensu est uo-  
 „ luptas: similiter autem & discursu, & contemplatione: iucundissima autem quæ perfectissima:  
 „ perfectissima uero ea, quæ bene se habentis erga studiosissimum eorum, quæ sub ipsa. etenim  
 „ ex his, & illis, quæ ad hæc consequenter dicuntur, dubitatio ipsa consistit, & manet. Atqui  
 „ uidetur ipsis mediæ quædam esse constitutio uoluptatis, & doloris. An primo quidem si in a-  
 „ ctionibus uoluptates, & dolores ipsorum sensuum, & discursus, & contemplationis, perspi-  
 „ cuum quòd, cum per hæc non operabimur, in neutro horum erimus: Interdum autem neque  
 „ sensibus, neque contemplatione operamur, ut in somnis, & absque somnis quietibus. Præterea, si  
 „ in optimis actionibus ipsum iucundissimum: optimæ autem actiones habituum optime dispo-  
 „ sitorum, cum fiunt circa optima, quæ sub eis sunt: perspicuum quòd, nisi ambo ita se habe-  
 „ rent, non amplius iucundissimæ fierent operationes. cum enim pauca transgressio, & remissio  
 „ eius, quod in utroque optimum est, fieret, adhuc iucundæ manerent, & si non iucundissimæ.  
 „ si uero adhuc magis remitterentur, perspicuum, quòd sine uoluptate, atque dolore actiones,  
 „ quales sunt quæ utilis gratia fiunt uisiones, auditiones, & olfactiones, & tactus: sicut custodien-  
 „ di aliquid, cognoscendi uel gratia perspicuæ sunt, quòd neque molestum habent, neque iucun-  
 „ dum: ut ipse dixit, declarans quales sunt mediæ actiones, per ea, quæ apposuit dicens. Quomo-  
 „ do igitur nemo continue uoluptatem capit, aut defatigationem: cuncta enim humana neque-  
 „ unt continue operari: nec igitur uoluptas fit, sequitur enim actionem. Quædam uero delectant,  
 „ cum noua sint, posterius uero non similiter propter hoc ipsum. primo enim prouocatur discursus,  
 „ intensusque agit circa illa, quemadmodum uisu inspicientes: postea uero non fit talis actio,  
 „ sed neglecta: quocirca & uoluptas hebescit: in talibus enim remissionibus, neglectisque actioni-  
 „ bus, & uoluptatis hebetudinibus quod molestia caret absque uoluptate inuenire licet. Quòd au-  
 „ tem quædam sentimus, neque uoluptatem, neque dolorem capientes dixit etiam in Secundo de Ani-  
 „ ma. De olfactu enim, & olfactibili in ipso sermonem habens, dixit. prauè enim odorat homo,  
 „ & nullum sentit odorabilem absque molesto, aut iucundo. si enim prauè, quia sola iucunda,  
 „ & molesta sentit, perspicuum quòd in aliis sensibus, quibus non prauè sentimus, sentiemus  
 „ utique & nec iucunda, nec molesta. Sed si & priuationes propriorum unicuique sensui sensibilem  
 „ sentimus, perspicuum, quòd horum sensus neque cum uoluptate, neque cum dolore fiet.

*Quod imprudentia horum est ignorantia, quorum prudentia est scientia.*

*Caput decimumquintum.*



I prudentia scientia est agendorum, & non agendorum, erit & imprudentia igno-  
 rantia eorundem, & imprudentes horum aliquod ignorantes, & circa hæc emen-  
 titi. si uero hoc, non omnes, qui in aliquo falsum dicunt, eò quòd decipiantur  
 imprudentes erunt. non enim omnis cognitio, deceptio uel est circa agenda, uel  
 non agenda. neque enim huius rei, quòd mundus huiusce sit figuræ, cognitio, aut  
 deceptio de agendis est: neque quòd ipse sit genitus uel ingenitus: aut finitus uel infinitus: aut  
 unus uel infiniti: neque quòd astrorum numerus uel par, uel impar sit: neque quòd sit ipsius mun-  
 di illud quidem superius, hoc uero inferius: neque penitus eorum aliquod, quæ ad cognitionem,  
 contemplationemque solam conferunt. sed si est circa hæc scientia, alterius uirtutis, non autem pru-  
 dentia. similiter autem & deceptio circa eadem non imprudentia, sed uitium quoddam aliud.

*Quo pacto, si dolor omnis malum, non etiam uoluptas omnis bonum.*

*Caput decimumsextum.*



I dolor omnis malum, contrarium uero dolori uoluptas, quo pacto non etiam  
 ipsa omnis bonum, aut omnis malum? siquidem malo contrarium necesse est uel  
 bonum, uel malum esse. An siquidem unius speciei esset ipsa uoluptas, omnis  
 esset uel bonum, uel malum. quod si non ita se habet, sed pariter ac actiones di-  
 uiditur, in quibus fit: quæ enim in bonis actionibus fiunt bonæ sunt, quæ uero  
 in flagitiosis malæ, sicuti & cupiditates: cupiditatum enim, quæ quidem bonarum bonæ, quæ



uero turpium malæ: nihil uetabit dolori malo existenti contrarias esse uoluptates, illas quidem ut bonas, has uero ut malas: illas quidem, quæ cum ratione, & in bonis factas, ut bonas, eas uero, quæ præter rationem, & in turpibus factas, ut malas: erat enim malo contrarium, aut bonum, aut malum: labor uero non omnis malus: qui enim honestorum gratia fit, expetendus. An oportet pariter & uoluptatem dicere bonum, & dolorem malum. uoluptatem enim omnem dicere quis bonum poterit: sed eam quidem & simpliciter, & natura propria, quæ studiosorum est: quæ enim studiosis bona, & mala sui natura huiusmodi: hanc uero huic bonum, qui hoc modo se habet, sed non simpliciter bonum. tales sunt improborum uoluptates: illis enim bonæ, & expetendæ, non simpliciter. & dolores quoque, qui in uere malis fiunt, simpliciter erunt mali, qui uero in non talibus, illis mali: non tamen etiam simpliciter.

erit autem quandoque & bonus in hoc malo, ut in paupertate, & ægritudine: ea enim, quorum studiosus dolorem percipiet, mala.

*Sub quo bonorum sit uoluptas. Caput decimumseptimum.*



**Q**UONIAM bonorum, aliqua quidem honorabilia, quædam autem laudabilia, alia uero potentiæ, alia utilia, quæsitum est sub quonam horum uoluptatem esse oportet. An siquidem omnes bonum, omnesque eiusdem speciei uoluptates essent, de omni quoque quærere oporteret & sub quo bonorum essent omnes. si uero non omnes sunt bonum, sed actiones expetendas sequuntur: non enim est uoluptas ipsa per se, sed in aliqua actione fit, & fit per proprietatem ad actionem: non enim est ab alia actione uoluptas eadem ei, quæ ab alia: quandoquidem corrumpunt multoties ab aliis actionibus uoluptates eas, quæ ab aliis. qui enim uehementer delectatur uoluptate à tibie cantu, & si aliquam actionem uoluptuose agens assequutus fuerit, tibias audiens, actionem, quam præ manibus habet, & uoluptatem, quæ in ipsa est, derelinquens, tibia canenti mentem adhibet, tanquam quòd uoluptate à tibie cantu delectetur, alia ab his, quæ ante hunc agebatur, existente. Si uero alia in aliis, differentibusque actionibus factæ, & actionibus, in quibus fiunt, sunt propriæ, perspicuum quod pariter ac ipsæ diuidentur: ut expetendarum quidem expetendæ, fugiendarum uero fugiendæ sint. pariter autem ac illæ diuisæ, perspicuum & quod sub illa bonorum specie erunt, sub qua & actiones, quibus sunt propriæ. si enim fuerint actiones laudabilem, ex quibus sunt quæ secundum uirtutem, erunt & ipsæ eiusmodi. si uero bonorum tanquam potentiarum fuerint, quales sunt quæ circa nutrimentum, atque uenerea, & ipsæ in eadem erunt bonorum regione.

*Cur maxime importunos dixit eos, qui in uoluptate finem ponunt, in Primo Ethicorum ad Nicomachum. Caput decimumoctauum.*



**Q**UOD maxime importunos dixit eos, qui in uoluptate finem ponunt, in primo Ethicorum ad Nicomachum. An, quia foelicitatem in corporeis fruitionibus ponunt, in quibus, & mundana, & pecudes, sunt importunissimi. propterea quia apud quos, sola uoluptas expetenda, & labor propter seipsum fugiendus, neque honestum propter seipsum expetendum, neque turpe propter seipsum fugiendum. Præterea, si sola uoluptas est expetenda, & omnia uoluptatis effectiua: ergo erunt & illa bona: & si quæ laboris sunt effectiua fugienda: sunt autem interdum bona, & honesta laboris effectiua: erunt bona, & honesta aliqua fugienda, quales sunt & operationes secundum fortitudinem. Insuper iuxta quos nihil sui natura honestum est, neque turpe: uidentur autem quædam huiusmodi propter hominum præsumptiones: ob quas, cum non sit turpe sui natura, turpe ut malum uitabimus, uoluptatibus ipsis damnum maxime inferemus: cum, qui turpe uitent, ab eis abstineant, quod nullum irrationalium facit: quare erit nobis ad malum rationales esse. Dicere uero, quòd neque ipsi turpes uoluptates opinamur expetere: siquidem ita, & propter hoc dicerent: quia turpe propter seipsum fugiendum est, recte quidem dicerent: non tamen etiam seruarent laborem solum fugiendum propter se esse. Si uero non propter ipsum turpe, sed quia in talibus multa quædam à legumlatoribus statuuntur: siquidem recte, essent iterum sui natura turpia mala: si uero non recte, hoc est dicere multam inesse hominibus, quia sint rationales: siquidem propter rationem, quæ non sunt mala, mala opinantes, priuantur propter ipsa ab his,



quæ tanquam uere bona sunt. Dicere uero omne, quod expetimus, ut iucundum nos expetere, atq; hoc uti ad huius persuasionem, quòd uoluptas maximum sit bonum, non uerum: siquidem unumquodq; eorum, quæ expetimus, uel ut honestum, uel ut utile, uel ut iucundum expetimus. Dicere uero & utile iucundum esse falsum. sæpius enim quod aperte iucundum non est expetimus, & si contingat etiam honesto, quatenus honestum est, & iucundum esse: sed non quia iucundum ipsum expetitur: quandoquidem à turpi sæpius iucundo existente auertimus, aufugimusq;: quòd si hoc propter turpe aufugimus, & propter honestum iucundum expetemus. Sed etiam dicere nihil esse sui natura honestum, neq; turpe, sed secundum proprias præsumptiones hæc dici: interrogareq; ratione aliqua honestum ipsis ostendi, simile est ac interrogare rationem, quòd aliquod sit album. nullum enim sui natura manifestum fide ex rationibus indiget. manifestum autem omnibus non orbatis hoc animæ oculo, quòd hæc cognoscuntur, esse aliquod scilicet honestum, ac turpe. Quod autem natura nobis insit turpia, atq; honesta cognoscere, perspicuum est in turpibus, non tantummodo his quæ fiunt, sed etiam his, quæ dicuntur, erubescere, ueluti aliquid patientes: & hoc uidere licet etiam in paruulis ad huc pueris fieri: hi enim sæpius erubescunt, ueluti in turpibus quibusdam.

*Quod non sint eiusdem speciei voluptates ipsæ. Caput decimumnonum.*



**Q**UAE inter se eiusdem sunt speciei non sunt sui inuicem corruptiua: neq; enim album ab albo, quatenus album, corrumpitur, neq; nigrum à nigro, neq; calidum à calido: uoluptas uero à uoluptate est corruptibilis: quandoquidem uoluptates ab his, in quæ uehementer incumbimus, corrumpunt eas ab illis, in quæ minus incumbimus: in theatris siquidem uoluptas, quæ ab audiendo aliquem esse comediam agentem corrumpit eam, quæ à constituendo bellaria prodit. Si uero iam quod contrarius uoluptati dolor facit, hoc ab aliquo alio uoluptas facit, non erit ipsa eiusdem speciei, ut numero solum differant. Præterea uoluptates propriæ actionibus, in quibus fiunt, ipsarum fines existentes, cum inter se specie actiones differant, erunt etiam uoluptates diuersæ inter se specie. Insuper, si intemperati uoluptati non est possibile temperatum assentire, neq; ei, quæ temperati intemperatum, non erunt eiusdem speciei inter se uoluptates omnes: atqui primum, igitur secundum.

*Quod non oportet ubiq; utile querere. Caput vigesimum.*



**N**OMNI actione, & omni disciplina utile expetens, nihilq; uolens discere, facere ue, quod non est utile, hic interim it esse aliquid propter se bonum, atq; expetendum: quandoquidem utile alicuius alterius gratia fit, cui fit utile: quod uero alicuius alterius gratia fit, ab illo, quod expetendum fit habens, habebit ab illo & quòd sit bonum: quodcumq; uero utile boni alicuius est effectiuum: fitq; iccirco, quia illius est effectiuum. Sed si quod per se bonum, expetendumq; magis est bonum, quam quod ab alio bonum habet, utile in omnibus expetens, interim it esse aliquid bonum proprie, atq; per se. Insuper, qui utile solum bonum esse dicit, & expetendum, interim it esse aliquid utile. si enim utile, ut boni est effectiuum, est expetendum, & bonum esse habet ab eo, quod gratia ipsius fit: nihil autem tale est iuxta quos solum utile expetendum est, non erit utile, ablato eo, propter quod id, quod fit ab ipso utile, habet quod sit expetendum. si enim utile utile fuerit, quia utilis alicuius boni est effectiuum, erit omne, quod ab utili utile fit, quod, eò quòd utile sit, ad aliud rursus relationem habebit. ita uero in infinitum progredietur. semper enim utili, quia aliquid facit, utili existente: quolibet uero, quod ab utili fit, & ipso existente utili. hoc uero ita se habente, neq; utile amplius utile maneret, non existente ultimo aliquo, quod, quia propter se expetendum, atq; bonum esset, & his, quæ ipsi conferunt, & sunt pro ipso utilia, quòd sint huiusmodi præberet. Sicut enim non est expetendum quod fit, neq; quod pro ipso fit utile erit expetendum. sic autem utilium nullum pro utili aliquo, quod expetendum fit haberet: eò quòd nullum eorum, quæ ab ipsis fiunt, quòd sit expetendum propter se habeat. Si itaq; absurdum est hoc interimere, esse scilicet aliquod bonum: interimitur enim iuxta dicentes oportere solum in utile incumbere, ut ostensum est: absurdum quoq; etiam dicere nihil esse utile: quod & ipsum interimunt qui in utile solum incumbendum esse dicunt: absurda utiq;



hæc opinio fuerit. Adhæc autem, si utilia quidem nobis auxilio sunt ad necessitates, & perturbationes, & casus in uita: finis uero non perturbari, sed nihil perturbatos actiones aliquas agere, quæ proprie sint hominibus, & liberorum actiones: mancipiorum enim est, omnia cum fecerint ne perturbentur, in posterum in ocio, & ludo esse, secundum nullam actionem præcio dignam agentes. Vt enim absurdum est Deorum actiones, aut rei ipsis utilis gratia fieri dicere, cum nullo huiuscemodi indigeant, sed extra omnem necessitatem, passionemq; sint, aut in ocio, & ludo finem ipsis ponere: absurdum pariter & hominibus finem esse dicere studiosarum actionum, totiusq; uitæ ocium, & ludum. Etenim si omnes à cæteris aliis animalibus distamus, quia scientiæ capaces, sensumq; ueritatis habeamus: perspicuum, quod & finis nobis erit in actionibus, quæ secundum ea sunt, quò homines sumus: homines autem maxime sumus, quo à cæteris aliis animalibus distamus: hæc autem sunt scientia, & ueritas, quæ neq; in ocio, & ludo, neq; in expetendis propter utile positæ sunt.

## De uerecundia.

## Caput uigesimum primum.



**D**IXIT quidem & in Secundo Nicomachiorum quòd passio est, non autem habitus, neq; uirtus: dicit quoq; & in Quarto, & ostendit quòd est passio, per uerecundiæ definitionem, & per accidentia iis, qui uerecundantur. Sed ibi quidem laudabilem ipsam passionem dixit: hic uero iuuenibus ipsam expetendam esse ait: quia ætate facile ad peccata labili se habente, uerecundia ipsorum plurimis est impedimento: ætate uero progredientibus alienum in posterum ipsam esse dicit, eò quòd propter uerecundiam metus sit infamiæ: infamiæ uero metus sit uel in his, qui iam scelesti euaserunt, uel qui sunt euasuri, uel qui apparent: inter quos non amplius sunt ætate progredientes, & uirtutes habentes actiui: facile enim ipsis est uitare, & quæcunq; quidem turpia non sunt, uidentur autem & ipsa infamiæ esse causa. Aequum itaq; est de hoc distinguere: & eò maxime, quoniam scimus nos ipsos hanc ætatem natos multorum, sæpeq; puduisse. Si igitur diceretur oportere infamiam despiciere, non esset nobis uerbis opus. quoniam autem non est hoc id, quod dicitur: sed constat quidem infamiam uitari oportere: siquidem gloria, & honor exteriorum bonorum maximum: dicitur quoq; non item infames esse, qui turpe aliquid neq; faciunt, neq; facturi sunt: diceremus aliquid ad ea, quæ dicta sunt, in quibus scimus nos ipsos puduisse. non enim uidetur infamia in his, quæ non recte aguntur, tantummodo fieri, sed etiam in his, quorum suspitio haberi potest, & accusatio, quæ maxime apud ignorantes emergunt. quod si sit & in talibus infamia aliqua, non excluditur ille, qui nihil turpe fecerit, quin possit infamiam pati: quam infamiam si timere opus est, quæ non minus ex accusationibus quàm actionibus gignitur, infamiæ uero metus est uerecundia, non erit res à passione aliena, neq; in probis, & ætate adultis, nec etiam secundum ipsum Aristotelem dicentem: si quidem opus est uitare, timereq; infamiam, hoc autem est uerecundia. Insuper apud eos, qui honeste, casteq; uiuunt: quia apud ipsos turpia omnia accusationem subeant, maior in ipsis est infamiæ metus, magisq; ipsam uitant: & idcirco accidit hos pudere maxime, qui turpia uehementer odio habent. uerecundia enim non uidetur esse simpliciter infamiæ metus, sed multo prius à turpibus alienatio: propter quam, qui ita se habent, timent sui ipsorum infamiam. quòd si huiusmodi est pudor, non amplius simpliciter passio fuerit, sed habitus quidam, ac dispositio, quam prædicta insequitur passio. Illorum igitur, qui ætate progrediuntur, eos quidem, qui turpia non uitant, neq; omnino cognosceret aliquis pudere: per assuetudinem enim eorum, quæ ab ipsis aguntur, despiciunt sui ipsius infamiam: qui uero ab huiuscemodi liberi, puriq; sunt, tunc uerecundantur magis, quanto & se ipsos persuadent turpiorem rem esse hanc ætatem natis in rebus turpibus infamiam, quàm inuenibus.

## Quod uirtutes se sequantur.

## Caput uigesimum secundum.



**Q**UOD se sequantur morales uirtutes ostendendum & ab electione. si enim uirtus præcipue electione iudicatur: recta uero electio ex prudentia sequitur: consulere enim prudentiæ, & moralis uirtutis: siquidem oportet ab eo, qui recte consulit, rectam poni intentionem, ob quam de his, quæ ad eam conferunt, consulit: terminatur enim intentio à morali uirtute: quod enim appetimus, de eo consulimus:

decentium uero rerum desiderium à morali uirtute, ut dixit Aristoteles; non est electio recta sine prudentia, neq; sine uirtute: illa enim finem, hæc uero ea, quæ ad finem, agere facit. Præterea, si necesse quidem quancunq; uirtutem moralem habentem prudentiam habere: siquidem uirtus moralis effectiua est eorum, quæ prudentia, rectaq; ratione sunt terminata: necesse quoq; & prudentiam habentem moralem habere uirtutem: siquidem prudentiæ proprium est quære, quonam modo decentem possibile sit assequi intentionem: quam terminare moralis est uirtutis: ipsa enim appetitiuæ facultatis uirtus est: hæc enim prudentia, & uersutia differunt: quæ prudentia quidem ea, quæ ad rectam intentionem conducunt, inuenit,

& inquit, uersutia uero ad casualem.

*Quo pacto, si uoluptas iuxta Aristotelem actus est habitus secundum naturam, non impeditus, non erit etiam felicitas iuxta ipsum uoluptas. Caput vigesimum tertium.*



est actio secundum naturam unicuiq; non impedita uoluptas: hanc autem omnia appetunt: idcirco iam & finis ipsa uoluptas, atq; ita uiuere: à quo enim & quod absq; impedimento, illud est in causa ita uiuendi: si inquam uoluptas causa est agendi sine impedimento, in illa erit maxime præcipuum bonum: quod si non uoluptas, sed aliud aliquid, illud erat huiuscemodi uitæ. quare si ita operandi in hominibus causa maxime est ipsa uirtus: conferre enim aliquid uidentur ad id, quod sine impedimento & ea, quæ à fortuna: illa in causa erit hominibus præcipue huiuscemodi uitæ. quare & si esse foelicem homini positum est in suis actionibus secundum naturam, per quam homo est, si absq; impedimento fiant, uirtus utiq; & maxime fiet foelicitatis causa, & proprias homini actiones agendi existens causa, & eius, quod sine impedimento. Insuper si uoluptas actus est, tanquam sequens actum hoc modo factum, ut ostendit in ultimo Ethicorum, uoluptas quoq; actum hoc modo factum sequens, signum magis erit adesse ipsum foeliciter degere ita agentibus, non autem ipsa foelicitas: actus enim uoluptas dicitur ab Aristotele: non quod ipsa propria ratione sit actus, sed quod in actione esse habeat, & non possit absq; ea fieri. quocirca si cut quod actus sit non impeditus habet, sic habebit & quod sit foelicitas: actus autem est non impeditus, eò quod talem sequatur actionem: & foelicitas est, eò quod foelicitatem sequatur, & sit signum præsentia ipsius. quantum uero ad agendum sine impedimento uirtutibus indigemus, per quas huiuscemodi oportet agere actiones, tantum deficit & secundum uirtutem actio, eò quod plus in seipsa habeat. Quod igitur seruiles homines foelicitatem in corporeis uoluptatibus, & fruitiua uita ponant sufficienter ipse ostendit & per hoc, quia mancipia, & pecudes talem uitam approbant, in super & per Sardanapalum. Quod uero neq; in actionibus secundum animam actiones sint gratia uoluptatis, sed uoluptas actionum, perspicuum. si enim & quam maxime iucundæ actiones secundum uirtutem sunt, non autem uoluptatis gratia expetuntur, sed econtrario: actiones enim secundum uirtutem expetimus, & si doloris, & laborum causæ sint quandoq; ut in actionibus secundum fortitudinem accidit: turpes uero uoluptates nunquam expetere rationabile est. quare, si actiones quidem secundum uirtutem expetendæ, & si cum dolore fuerint, qui contrarius est uoluptati: uoluptates uero nunquam expetendæ sunt cum contrario uirtuti, atq; honesto: perspicuum, quod uoluptates propter eas, quæ in actionibus secundum uirtutem fiunt, expetimus, & propter actiones huiuscemodi. Maxime uero hoc diiudicari poterit, si naturam sequuti, perpenderimus, & depræhenderimus utrum utrius gratia natura nobis statim genitis dedit, actionem propter uoluptatem, aut uoluptatem propter actiones. atqui notum est uoluptatem animalibus propter actiones à natura datam esse, si seruari debent. impossibile enim est ipsa non alita uiuere. quocirca in cibariis uoluptatem ab ipsa habemus, propter quam uoluptatem & non præsens cibum quærimus, & præsentem utimur, occupationem à melioribus factam interdum per hanc consolantes. omnino enim absurdum est dicere nos ali, non ut propter ipsum seruemur, sed pro uoluptate, quæ est in ipso. Sed & uoluptatem, quæ ueneris rebus aduenit, si quis naturaliter inquirat, non alterius gratia inueniet disseminatam, nisi filios procreandi: ut à uoluptate incitata animalia ad coniunctionem non sint segnia: quæ animalibus æternitatis in specie causa est: per quam & ipsum mundum similem sibi ipsi manere contingit. si uero manifeste in his uoluptates animalibus actionum gratia fiunt, & in aliis naturalibus actionibus sic se habere rationabile est. Quod autem in quibus unâ est



honestum, atq; uoluptas, honestum non uoluptatis gratia expetendum, sed uoluptas honesti, perspicuum, ut meminimus iam ex eo, quod si uoluptatis gratia expetendum esset ipsum honestum, quasi illa quidem finis, & propter se expetenda esset, quasi uero uoluptatis effectiuum honestum ipsum expetendum obtinens, pariter atq; honestum, turpe fieret expetendum: quoniam & hoc uoluptatis effectiuum: quibus enim expetendum, ut effectiuus, his, quod fit ab ipsis, electionis mensura. aut enim non opus est dicere quosdam fieri & in turpibus actionibus uoluptates, sed in solis honestis: aut si non hoc uerum, expetendum erit & turpe, similiter ac honestum: si adueniens ab ipsis uoluptas electionis ipsorum causa est. quod si hoc absurdum, conciliare nobis actionem omnem turpem, tanquam non minus honesta expetendam, et si magis ipsa, & pluribus uoluptates paret, neq; honestum erit propter uoluptatem expetendum, tanquam illius effectiuum. Si uero oportet quidem esse, & uel propter uoluptatem honestum expetendum, uel propter honestum uoluptatem: non est autem honestum propter uoluptatem: erit utiq; uoluptas expetendum ab honesto assumens. non enim idem possibile est dicere esse honestum, atq; uoluptatem, in quibus unà existunt, simulq; mutuo sunt. si enim idem ipsis esset esse, & conuertere ipsa inter se, necesse esset, ut omne honestum, in eo quod honestum esset, & iucundum esse haberet, & omne iucundum simul & iucundum esse, & honestum. Si uero falsum est dicere omnem uoluptatem honestum esse, eò quod non minus uideantur uoluptates in turpibus actionibus factę, neq; in honestis actionibus uoluptates factę eadem erunt actionibus, in quibus fiunt. dicere enim, tum uoluptates solas propter se esse expetendas: aliorum uero expetendum unumquodq; quatenus ad uoluptatem aliquid confert, eatenus & ipsum expetendum habere: tum uero honestum quidem expetendum esse dicere, tanquam uoluptatis effectiuum, non item etiam & turpe dicere expetibile fieri propter uoluptatem, quę ab ipso fit, non concessa dicentium est, sed inscite ea negantium, quibus assentiunt propter electiones ita se habere. nullus enim, nisi hoc modo subornatus, ita absurdam tuetur opinionem. dicere enim uoluptates in honestis actionibus factas, & sinceras esse, & immixtas contrariis doloribus, & propter hoc & effectiuas ipsarum actiones ipsum expetendum habere: eas uero, quę in turpibus, paucum habentes delectabile, multa habere, & pleraq; quę dolorem afferant: quocirca neq; actiones esse tales expetendas, cum effectiuę doloris magis sint quàm uoluptatis, quo pacto, non distinguendum est uoluptates pariter ac actiones, in quibus fiunt, & non eiusdem speciei seruantium? si enim quę quidem in honestis huiusmodi, quę uero in turpibus huiusmodi, erunt utiq; & honesta, & turpia uoluptatum differentię causa. non enim à uoluptatibus inest actionibus ipsum expetendum, sed ab actionibus uoluptatibus. & erunt alię quidem speciei, quę ab honestis, alię uero quę à turpibus: si quidem omnes quidem, quę ab honestis purę, & impermixtę, nulliusq; pœnitentię aut doloris causę, talibus actionibus specificatę: omnes uero, quę à turpibus, mixtę, & in pœnitentiã. ita uero se habentibus ad actiones uoluptatibus, præmanifestum, quod non à uoluptatibus actionibus ipsum expetendum, sed ab actionibus uoluptatibus: illis enim expetendum, his uero fugiendum: si quidem fugiendę eę, quę plus molesti, quàm iucundi obtinent: tales uero omnes, quę in turpibus actionibus.

*Quo pacto uirtutes sint propter se expetendę. Caput uigesimum quartum.*

**E**T quonam modo aliquis uirtutes, actionesq; secundum ipsas propter se ipsas expetendas esse diceret, si quidem propter immoderatarum passionum remotiorem à nobis sunt expetendę? Si enim Fortitudinem expetimus, ut moderari timores, ac audacias possimus: Temperantiã uero, ut per tactum dolores, & uoluptates: expetimus etiam & aliarum uirtutum unamquancq; aut in passionum quarundam moderationibus, aut in actionibus: Liberalitatem enim, & Magnificentiam, ut moderari possimus actiones, quas in dandis, accipiendisq; pecuniis agimus: Magnanimitatem uero, ac Glorię cupiditatem in commensurata, dignaq; honorum electione: Mansuetudinem etiam in irarum commensuratione: expetimus quoq; & Iustitiã, quia communicationis, & societatis, quę natura nobis inest, est conseruatiua: natura enim communicabiles, & ciuiles sumus. quemadmodum enim non propter se ipsam expetenda est & Aedificatoria, quoniam expetenda sunt quę ab ea fiunt: neq; Luctatoria propter se ipsam est expetenda, eò quia recte luctandi sit effectiuã; neq; uirtutum aliqua, propter se expetenda erit, si expetendum in ipsis est propter ea,

que propter ipsas fiunt. An si aliud quidem esset id, propter quod dicimus uirtutum unamquamque esse expetendam, aliud uero ipsa uirtus, merito interimeretur esse ipsarum unamquamque propter se expetendam. si uero est unaquęque uirtutum, eò quòd in hoc esse habeat, propter quod est expetenda, dicitur utique rationabiliter uirtutes esse propter se ipsas expetendas. Sicut enim si esset Aedificatoria domus, propter quam est expetenda, esset utique propter se expetenda: sic & uirtutum unaquęque, si est illi eadem, propter quod est expetenda, erit propter se expetenda. Et adhuc magis, & manifestius, si unumquodque, quod secundum ipsas expetendum in se ipso habet, & non propter relationem ad aliquid aliud, ut domus, propter quam Aedificatoria habet ipsum expetibile, propter defensionem enim hyemis, atque estatis ab ipsa factam. Quòd autem uirtutes his eadem, propter que expetendas ipsas dicimus, perspicuum est ex hoc, esse quidem eas passionum, actionumque; mediocritates, Fortitudinem quidem terroris, & audacię, Temperantiam uero doloris, uoluptatisque; tactus, Liberalitatem autem dandi, sumendi que; pecunias. eadem quoque, & in aliis ratio. Quare si in his esse ipsis est, propter que sunt expetende, erunt utique propter se ipsas expetende: & adhuc magis propter se ipsas, quoniam non propter aliud aliquid à nobis expetende sunt mediocritates, que circa timores, & audacias, sed propter se ipsam unaquęque. quod enim in seipso, sui que; natura expetendum obtinet, hoc propter se ipsum est expetendum: tales uero sunt mediocritates, que circa actiones nobis naturales. His autem sic se habentibus, si ab hominibus quidem salus ciuilis societatis, domesticęque; gubernationis non propter se ipsam, sed propter aliud quid expetenda, neque utique Iustitia, cum sit horum mediocritas, in quibus est predictorum salus, erit propter se ipsam expetenda, secundum quos hoc est iustitia. si uero societas, & salus huius propter se ipsam ab hominibus est expetenda, demonstrabitur utique & iustitia propter se ipsam expetenda, quatenus est mediocritas, & æqualitas, in legibus scilicet, æquique contractibus, in quibus est salus ciuilis, primęque; societatis. At uero quòd propter se expetenda hominibus sit ipsa societas nosse facile est & ab hoc, natura ipsis inesse societatem. cuius rei manifestissimum inditium, hoc maxime ab aliis animalibus differre, quòd solum ipsi utile est in mutua societate: ipsius enim proprium ratio est: huius uero usus, ad significationem his, qui prope, propriarum cogitationum, atque passionum. Perspicuum autem hoc & ex eo, quòd neque paululum uiuere potest homo, cum solitudinem nactus fuerit. Quia uero in societate est esse homini, ratioque; huius est causa: optima uero & perfectissima societatum, quę per rationem fiunt, ciuilis est: ab optimis autem secundum naturam unicuique iudicium: erit utique homo res rationalis: ita uero & ciuilis: & seruare etiam huiuscemodi societatem sibi maxime secundum naturam erit, & propter se expetendum: tale uero iustitia est.

*Discursus, unde nam uirtutum inuentio, et constitutio. Caput uigesimum quintum.*

**Q**UONIAM foelicitas hominibus intentio est: oportetque; omnia agere, ut hanc acquiramus, tanquam finem, nostrorumque; bonorum maximum: impossibile autem agere aliqua, tanquam ad aliquid adminiculantia, aut omnino ea cognoscere, quibus possibile est intentionem aliquam assequi, ignorata intentione: principium enim inuentionis eorum, quę intentioni adminiculantur, & earum, quę illius gratia fiunt, actionum, est intentionis cognitio: propter quod & moralis philosophię principium est cognoscere quidnam est foelicitas, cuius gratia nos omnia agere oportet: quęsumus quidnam sit foelicitas: inuenientesque; uniuscuiusque; entium bonum esse in propria actione, ea, quatenus huic ipsi est esse quod est, si recte fiat: in his enim, quę natura consistunt, hoc modo se habet: sed & in his, quę arte: quandoquidem ars naturam imitatur: æqui enim bonum huiuscemodi, siquidem est proprium ei opus, quæ equus est, curere: bonum autem ipsi est bene curere: eadem quoque ratio & in cane: siue enim custodire, siue uenari canis est opus, siue horum quidem hoc, illorum uero illud, & bonum ipsis est in hæc bene agendo: sed & aedificatori bonum, & finis in bene aedificando: quoniam & opus ipsius est aedificare: & quoniam in unoquoque finis actu, & opere à propria uirtute adipiscitur, uniuscuiusque; finis erit in agendo proprium finem secundum uirtutem, quòd si hoc, erit & hominis bonum, & finis in agendo secundum uirtutem propriam actiones, qua homo est. atqui actiones hominis proprię sunt, quę secundum rationalem animam fiunt: hominis enim esse est in uiuendo, & secundum rationalem animam operando. quòd si hoc, erit & ipsi finis in operando secundum uirtutem rationalem animę. quare



mæ. quare erit & ipsa felicitas, quoniam ipsa est hominis bonum, & finis, actio secundum uirtutem rationalis animæ: hoc addito, inuita perfecta: nullum enim perfectum in imperfecto: & etiam eius, quod in præcipuis, eò quòd instrumentis præcipue, consultæq; actiones indigeant. Cum autem hæc sit intentio, perspicuum ex ipsius inuentione, & cognitione necessarias esse ad felicitatis acquisitionem rationalis animæ uirtutes. Quærentes autem quænam sint, merito primum deueniemus ad inspiciendum quæ nam sit rationalis anima, quoniam huius uirtutem quærimus. Duplex autem rationalis potentia inuenta est: illa quidem per se irrationalis, rationalis uero, quia rationi parere possit, & à ratione corrigi: talis enim est in nobis anima appetitiua; hæc uero rationalis est, eo quod ipsa in seipsa rationem habeat. Et est utriusq; istarum potentiarum propria quædam actio, & uirtus, per quam ipsum bene in propria actione fit. Appetitiuæ enim operationes, & secundum passionem motus: uirtutes uero, quas morales uocamus ab eo, quòd per mores quosdam innascuntur. Discursiuæ uero, actiones quidem cognitiones naturæ generalium, omninoq; eorum, quæ aliter se habere contingunt: uirtus uero, qua ueritas, quæ in his est, cognoscitur. Intellectualis autem, actio quidem æternarum substantiarum cognitio: uirtus uero, per quam horum uera fit cognitio. Ita uero distinctis uirtutibus, quid est unaquæq; & quod eius opus, & quod ad felicitatem emolumentum ab operibus, actionibusq; utriusq; rationalis potentia inuenitur. Opus igitur appetitiuæ quidem facultatis actiones circa uoluptates, atq; dolores, illas quidem expetentis, & persequentis, ab his uero auertentis. Et quoniam nata est in huiuscemodi omnibus, in quibus excessus est, & defectus, incommensuratio quidem corruptiua esse eius, quod in unoquoq; bene: tale autem excessus est, atq; defectus: commensatio uero conseruatiua quidem eius, quod bene, & effectiua, ut perspicuum est in exercitationibus, & cibariis. exercitationum enim excessus, atq; defectus boni habitus, qui uirtus est corporis, sunt corruptiua: commensuratio uero ipsorum, & mediocritas, & effectiua ipsius, & conseruatiua: quod est id, quod in ipsis bene. sed & cibariorum rursus excessus quidem, & defectus sanitatis sunt corruptiui: commensurationes uero effectiuæ, ac conseruatiuæ. Ita uero & in passionibus se habet, & circa ipsas actionibus. excessus enim ipsarum, & defectus ipsius bene, quod in ipsis est, sunt corruptiui, commensurationes uero effectiuæ, ac conseruatiuæ. & quoniam ipsum bene in omnibus est propria uirtus, & omne, quod secundum uirtutem fit, accidit uirtutes circa hæc actionum, passionumq; commensuratione consistere. Temperantia enim corrumpitur quidem à uoluptatum excessu, atq; defectu, harum, circa quas nata est uirtus quidem temperantia fieri: uitium uero intemperantia, ac stupiditas: seruetur uero, & constat ex horum ipsorum mediocritate, & commensuratione. Sed & fortitudo consistit quidem ex mediocritate, commensurationeq; circa timores, & audacias: ab excessu uero, & defectu horum ipsorum corrumpitur. Vt autem in his, ita & in reliquis se habet. Quare si in his ipsum bene in mediocritate actionum, passionumq; consistit: ipsum uero bene in unoquoq; secundum propriam uirtutem: erunt secundum hæc uirtutes in mediocritate prædictorum: non simpliciter, neq; temere medio in his assumpto, sed ut ostensum est secundum rectam rationem, & ex prudentia terminato: eritq; secundum appetitiuam animam felicitatis pars in rectè factis actionibus à uirtutibus circa passionem, atq; operationem posita. Præterea quoq; si hominis uirtus est, à qua bonus homo fit: etenim in aliis omnibus unumquodq; bonum est, & fit secundum sui ipsius uirtutem: bonus uero homo fit, & est, qui neq; in passionibus immoderatus, neq; in actionibus circa ipsas: erit & ex hoc illud ostensum moralem uirtutem in prædictorum consistere mediocritate. actiones enim, quæ circa passionem, & actiones, cum per mores moderatæ fuerint, ita, ut assueti in honestis quidem actionibus uoluptatem, in contrariis uero dolorem percipiant, quod fit in mediis, quod in ipsis est inuentione, atq; electione, uirtutis sunt effectiuæ: quocirca etiam dicimus morales uirtutes habitus in mediocritate esse passionum, atq; actionum recta ratione metitas. Et huiuscemodi quidem est circa hæc moralium uirtutum constitutio. Discursiuæ uero, & ita rationalis animæ, quoniam illa quidem est circa æternorum, semperq; eodem modo se habentium cognitionem, hæc uero circa contingentium etiam aliter se habere: quorum primum quidem scientificum, secundum uero ratiocinatum uocamus, & consultatum: erit & secundum utranq; actionem prædictorum & ipsum bene, & ipsum secundum uirtutem. Est autem uirtus cognitionis ueritas. uirtus uero secundum utranq; rationalis animæ potentiam ad ueritatis cognitionem erit eorum, quæ ab ipsa considerantur: hæc

quidem circa consultabilia, contingentiaq; aliter se habere rectum appetitum sequens: inuentio enim, & cognitio eorum, quæ appetitibus opitulatur, recta ratione eligenda: talem habitum, ac ueritatem prudentiam uocamus: prudentia enim inuentrix est earum actionum, quæ ad rectam intentionem conducunt: quocirca & prudentiam actiuam uirtutem dicimus: quoniam cognitio ipsa de actionibus est ad rectitudinem conferentium. Quæ uero circa æternorum cognitionem operatur, ipsum quidem bene in uerorum, quæ in his sunt, inuentione, & cognitione obtinet, cum speculatiua, non actiua sit: nullum enim uerorum, quæ in his sunt, ad actionem aliquam relationem habet. quocirca finis ipsis est uerorum, quæ in æternis sunt, cognitio, & est in his ipsum quidem bene, & bonum, & uerum: falsum uero quod est in ipsis malum: quam uirtutem scientiam uocamus, cum sit habitus demonstratiuus. & quoniam demonstratio per quædam prima eius, quod demonstratur, & propria, & uera, & non in infinitum est in ipsis primum: sed est quoddam, & proprie in ipsis primum: eo modo primi cognitio, atq; inuentio Mens uocatur. Sapientia uero, quæ utraq; habet, & principiorum inuentionem, & per principia eorum, quæ post principia inuentionem, ac demonstrationem. quare erunt rursus discursiue uirtutes, cum sint ipsius bene, quod est in prædictis actionibus, inuentrices, ac inquisitrices, principalissimum ad felicitàtem opis habentes: eò quòd facultatum rationalis animæ principatum habentium actiones ipsum ab his bene habeant. erit igitur uirtus principium quidem assumens opis ad felicitàtem: esse uero habens in actionibus secundum utraq; rationalem animæ facultatem, ipsius bene, quod in ipsis est, inuentrix, & demonstratiua existens.

*Quod honestum non uoluptatis gratia expetendum, sed uoluptas honesti.*

*Caput uigesimum sextum.*

**Q**uòd honestum non uoluptatis gratia expetendum, sed uoluptas honesti, perspicuum est ex hoc, si uoluptatis gratia expetendum esset ipsum honestum, quasi illa quidem finis, & propter se expetenda esset, quasi uero uoluptatis effectiuum honestum ipsum expetendum obtinens, pariter atq; honestum, turpe fieret expetendum: quoniam & hoc uoluptatis effectiuum: quibus enim expetendum, ut effectiuus, his, quod fit ab ipsis, electionis mensura est. aut enim non opus est dicere quasdam fieri & in turbibus actionibus uoluptates, sed in solis honestis: aut si non hoc uerum, expetendum erit & turpe, similiter ac honestum: si adueniens ab ipsis uoluptas electionis ipsorum causa est. quod si hoc absurdum, conciliare nobis actionem omnem turpem, tanquam non minus honesta expetendam, & si magis ipsa, & pluribus uoluptates parer, neq; honestum erit propter uoluptatem expetendum, tanquam illius effectiuum. Si uero oportet quidem esse, & uel propter uoluptatem honestum expetendum, uel propter honestum uoluptatem: non est autem honestum propter uoluptatem, erit utiq; uoluptas expetendum ab honesto assumens. non enim idem possibile est dicere honestum, atq; uoluptatem, in quibus unà existunt, simulq; mutuo sunt. si enim idem ipsis esset esse, & conuerti ipsa inter se: necesse esset, ut omne honestum in eo, quòd honestum esset, & iucundum esse haberet, & omne iucundum simul & iucundum esse, & honestum. Si uero falsum est dicere omnem uoluptatem honestum esse, eò quòd non minus uideantur uoluptates in turpibus actionibus factæ, neq; in honestis actionibus uoluptates factæ eisdem erunt actionibus, in quibus fiunt. dicere enim, tum uoluptates solas propter se esse expetendas, aliorum uero expetendum unumquodq;, quatenus ad uoluptatem aliquid confert, eatenus et ipsum expetendum habere: tum uero honestum quidem expetendum esse dicere, tanquam uoluptatis effectiuum, non item etiam & turpe dicere expetibile fieri propter uoluptatem, quæ ab ipso fit, non concessa dicentium est, sed inscite ea negantium, quibus assentiunt propter electiones ita se habere. nullus enim, nisi hoc modo subornatus, ita absurdam tuetur opinionem. dicere enim uoluptates, in honestis actionibus factas, & sinceras esse, & immixtas contrariis doloribus, & propter hoc & effectiuas ipsarum actiones ipsum expetendum habere: eas uero, quæ in turpibus, paucum habentes delectabile, multa habere, & pleraq; quæ dolorem afferant: quocirca, neq; actiones esse tales expetendas, cum effectiue doloris magis sint, quàm uoluptatis, quo pacto non distinguendum est uoluptates, pariter ac actiones, in quibus fiunt, & non eiusdem speciei seruantium? si enim quæ quidem in honestis huiusmodi, quæ uero in turpibus huiusmodi, erunt utiq; & honesta, & turpia uoluptatum



differentiæ causa. non enim à uoluptatibus inest actionibus ipsum expetendum, sed ab actionibus uoluptatibus. & erunt aliæ quidem speciei, quæ ab honestis, aliæ uero, quæ à turpibus; siquidem omnes quidem, quæ ab honestis, puræ, & impermixtæ, nulliusq; pœnitentiæ, aut doloris causæ talibus actionibus specificatæ: omnes uero, quæ à turpibus mixtæ, & in pœnitentiâ. ita uero se habentibus ad actiones uoluptatibus, præmanifestum, quod non à uoluptatibus actionibus ipsum expetendum, sed ab actionibus uoluptatibus. illis enim expetendum, his uero fugiendum: siquidem fugiendæ eæ, quæ plus molesti, quàm iucundi obtinent: tales uero omnes, quæ in turpibus actionibus.

*Qua de causa morales uirtutes mediocritates. Caput vigesimum septimum.*



**Q**V A de causa morales uirtutes mediocritates? An quia omnis uirtus id ipsum, cuius est uirtus, bene se habens efficit, & eius opus bene promit. oculi enim uirtus & oculum bonum facit, & eius opus: oculi enim uirtute bene uidemus. eadem autem ratio & in aliis corporis particulis. sed & equi uirtus equum & probum facit, & ad cursum, gestandumq; fessorem, ac sustinendos hostes idoneum. eadem quoq; ratio & in unoquoq; aliorum animalium. Sed & in artibus, ac scientiis sic se habet. ipsius enim Exercitatoriæ uirtute & hominum corpus bonam acquirit habitudinem, & proprias actiones bene promit. eadem quoq; ratio & in Medicatiua: huius enim uirtute & corpora sana reddimus, & salubres actiones agimus. similis ratio & in Aedificatoria, & Figlina, & Fabrili, & in omnibus artibus. Cum autem uerum sit omnem uirtutem, cuiusuis fuerit uirtus, id ipsum bene se habens efficere, & eius opus bene promere, perspicuum quod & hominis uirtus erit, à qua homo & bene se habebit, & opus proprium quàm optimum promit. quid igitur tale est deinceps inspiciendum: inuentum enim uirtus erit. Quoniam igitur uidemus in omni quanto & additionem, & ablationem suscipienti excedens, & deficiens in ipsis fugienda esse, æquale uero, & commensuratum, & medium expetenda, & in ipso propriam uirtutem habentia: in bona enim corporum habitudine, & uirtute corporis excedentes, deficientesq; exercitationes, & bonam habitudinem fieri prohibent, & factam corrumpunt: commensurata uero, & media & conseruant, & faciunt. sed & cibaria excedentia, deficientiaq; sanitatem corrumpunt: conseruant uero existentem, & non existentem faciunt media, & commensurata. sed & in Figlina inspiciere licet, cum in excessus defectusq; uitatione sit quod secundum uirtutem ab ipsa fit. ut autem in his, sic & in aliis omnibus se habet. Est autem & moralis uirtus circa passiones, & actiones, quod & additionem, & ablationem suscipit: perspicuum igitur quod erit secundum ipsa, & circa ipsa uirtus in horum mediocritate. Ut autem in aliis medium ab artis ratione metiebatur, sic & in passionibus, & actionibus metietur medium, & commensuratum à prudentia, rectaq; ratione: qua metita actaq; in ipso bene terminum habent. quocirca & dicimus uirtutis moralis rationem esse habitum electiuum, ea, quæ ad nos circa passiones, & actiones recta ratione definita, ipsius bene, atq; honesti, quod in extremis, existentem. Quod autem sic se habet perspicuum unamquamq; moralium uirtutum præmanibus assumentibus. Fortitudo enim excessus audaciæ, timorumq;, similiter quoq; & defectus uitans, ipsius, quod in his, bene existit: habituum uero, qui circa horum excessus & defectus, ille quidem Audacia, hic uero Timiditas, ipsorum uitium utraq; existens. Sed & Temperantia eiusdem circa corporeas, & quæ tactu frunt uoluptates, & dolores existit, excessus quidem, & defectus in ipsis uitans, medium uero in ipsis secundum rectam rationem eligens: habituum uero, qui in horum excessibus, & defectibus, qui quidem secundum excessum Lasciuiâ, qui uero secundum defectum Stupiditas. Perinde uero, ac hi habitus, se habent & circa alias actiones, & quæ in ipsis passiones, & uirtutes, mediocritates existentes, & secundum excessus, defectusq; uitia. Non dicentium autem uirtutes esse mediocritates, aut propter dictorum ignorantiam, aut propter æmulationem, ut & ad hoc uideantur aliquid dicere, aliqui quidem non dicentes posse uirtutem mediocritatem esse, quia oporteat medium ab extremis metiri, & ab his æquæ distare: non esse uero neq; in passionibus, neq; in actionibus, nec excessus, nec defectus terminatos: neq; enim confidendi incommensuratio, quousq; pergat, terminata est, neq; timendi: ad hos utiq; dicitur, quod in definitione ipsi mediocritati additum minime intellexerunt: est autem illud, ad nos: & si manifestè ipsum determinauerit Aristoteles, & ostenderit, quod ad rem quidem mediam extremorum termino in

diger: siquidem ita medium eque distat ab extremis: ad nos uero medium neque unum est, & idem omnibus, nec in aequali extremorum distantia reperitur: contra enim talis medii ad cognitionem redacti inuentio & medii ad utraque excedentias faciebat. Ut enim in artibus metitum secundum singulorum dictorum medium, & artis ratione commensuratum deflexiones, & transgressiones ad utraque medii latera ostendit, sic quoque se habet & in passionibus, & actionibus. definitum enim secundum ipsam commensuratum unicuique sub prudentia, & secundum ipsam ratione omnes ipsius transgressiones notas facit, nihil indigens accessu ad ipsorum terminos, sed ex seipsa eas impediens, eò quòd primis ipsorum deflexionibus resistat præter medium, & commensuratum factis. Sed etiam dicens non esse uirtutem duorum uitiorum mediam ex utraque ipsius parte: neque enim ad ipsam sequi contrarium uitium, eò quòd medium quidem a neutro utriusque extremorum plurimum distet, contraria uero esse, quæ in eodem genere plurimum inter se distant: neque hic aliquid dictorum remouebit. Si enim esset uirtus ipsæ mediæ passionis, & ipsæ mediæ actionis, diceretur aliquid: nunc uero non hæc est uirtus, sed circa hæc esse uero ipsi uirtuti est in eo, quòd recta ratione metita sit, & commensuratione esse habeat: excessibus uero, & defectibus uitii esse ab ea, quæ delinquit ratione, & incommensuratione, quatenus illa quidem recta ratione quæ agit, agit, & est in commensuratione, hæc uero secundum eam, quæ delinquit rationem, & in incommensuratione ipsis est contrarietas: quoniam secundum easdem passionis, & actiones, & quantum, quod in his est, defectus excessibus dicti sunt ab ipso esse contrarii. Et dicens etiam uirtutem non esse mediocritatem: necessarium enim fore uirtutem habentem medium bene adire, non autem extremum: neque hic dicta intelligens loquitur. dictum est enim, quòd est circa passionis, & actiones mediocritas prædicto modo in ipso bene extremitas: extreme enim bene se habet quod fit in illis medio modo, & commensuratione: nihil enim prohibet extremum aliquorum in mediocritate, extremum aliquorum esse: quocirca absque ratione est & qui dicit, si uirtus extremitas est animæ rationalis, non posse ipsam esse mediocritatem, eò quòd non possit idem simul esse extremum, & medium. si enim eiusdem aliquis crederet, dicerent utique aliquid: quoniam autem hoc non dicitur, accusarent quæ culpa carent. Sed neque dicens si uirtus duorum uitiorum media, constabit ex his, eò quòd contrariorum media ex contrariorum mixtione constitutionem habent: ut in coloribus, & odoribus, & saporibus ipse in libro de sensu dixit: neque hic aliquod positorum increpat. non enim si prædicta huiusmodi, iam et omnia media contrariorum aliquorum ex illorum mixtione esse habent. neque enim secundum quantitatem aliquam medium ex contrariis habet constitutionem: sed prorsus contra in distantia ab extremis est esse ipsis mediis. in his enim, quæ artibus fiunt, medium, & commensuratum non ex compositione excedentis, deficientisque, sed in horum fuga. non enim ex mixtione excedentium, deficientiumque; exercitationum bonus habitus, & si in medio fit ipsorum. sed nec sanitas hoc modo fit, neque Figlina excessus, & defectus componit: neque etiam centrum circuli ex horum mixtione est, à quibus plurimum elongatur: sed nec media bonorum, & malorum ex illis mixta sunt: nec proficientem ex uitio, uirtuteque; constare dixerit aliquis. Neque illud uerum dicere si mediocritas uirtus est, oportebit à defectu ad excessum procedentem primum uirtutem nancisci. si enim essent mediæ passionis, mediæque; actiones uirtutes, fortassis esset quod dicitur. si uero uirtus est, eò quòd hæc recta ratione sint definita, non omnino qui in media aliqua passione fuit constitutus, iam est in ipsa, ut recta ratione ipsam patitur, aut mediam actionem pariter agat. Non aliter uero hoc in omnibus hoc modo accidit. non enim ex turpitudine per excessum alicuius partium in id, quod per indigentiam, & defectum mixtata prima fit pulchritudo. Absurdum quoque etiam dicere secundum quos mediocritates eligendæ, secundum hos fieri & uitii partem uirtutem. Audaciæ enim, si superexcedens ablatum fuerit, quæ derelinquitur ipsius pars fortitudo erit. sed & Fortitudinis, si ablata fuerit pars aliqua, quatenus timiditatem superat, fit, quæ derelinquitur ipsius pars, timiditas. exacte enim de his & ipse dixit, cum ostendit omnem uitii partem uitium esse, & omnem uirtutis uirtutem. uel hæc non erant soluta per textum hunc. Non omnis autem actio, neque omnis passio suscipit mediocritatem. quædam enim mox cum prauitate comprehensa nomen assumunt, ut Maleuolentia, Impudentia, Inuidentia: & in actibus Adulterium, Furtum, Homicidium: omnia enim hæc, & huiusmodi esse dicuntur, quia sunt praua, sed non excessus ipsorum, nec defectus. Non est igitur unquam circa ipsa recte agere, sed semper delinquere. neque est bene, uel



» non bene circa huiuscemodi, in committendo adulterium, si, & quando, & ut oportet, sed sim-  
 » pliciter quoduis istorum facere delinquere est. Simile igitur est & putare circa iniuste, timide,  
 » ac luxuriose agere mediocritatem esse, & excessum atq; defectum. erit enim hoc pacto ipse ex-  
 » cessus, & defectus mediocritas, & excessus excessus, & defectus defectus. Quemadmodum ue-  
 » ro temperantiæ, & fortitudinis non est excessus, & defectus, quia medium est modo quodam  
 » extremum, sic nec illorum est mediocritas, nec excessus, & defectus: sed utcumq; agatur delin-  
 » quitur. omnino enim neq; excessus, neq; defectus mediocritas est, neq; mediocritatis excessus,  
 » & defectus. per hæc enim non solum prædictam soluit difficultatem, sed etiam  
 » omnia, quæ contra opinionem dubitari possunt.

*Vtrum, vel vt genus, vel vt totum virtutum virtus. Caput vigesimum octauum.*



» **Q**UONIAM ad dicentes ut genus uirtutem de uirtutibus prædicari seque-  
 » batur hoc absurdum, una interempta omnes interimi: prudentia enim interem-  
 » pta nec aliam possibile est habere uirtutem: non sic autem se habere genus ad spe-  
 » cies, ut unius speciei interemptione unà ipsum, & aliq; species interimantur. Ad  
 » eos uero, qui ut totum de partibus, sequebatur totum quidem de partibus sibi  
 » non similaribus non prædicari uniuoce: non enim de capite statuæ statua, & ratio ipse: cum  
 » autem uirtutes inter se differunt, uirtus de omnibus uniuoce prædicatur. An, si totum, quod  
 » similitum partium, de partibus uniuoce prædicatur: omnes uero uirtutes inter se similes: si qui-  
 » dem quancumq; assumpseris, ut perfectis ipsis, similiter ex omnibus constituitur, prædicabitur  
 » tota, ut ea, quæ similitum partium, uniuoce de unaquaq; perfectam enim habens uirtutem  
 » pariter omnes habet. pariter uero omnes habens quandoq; quidem secundum fortitudinem,  
 » quandoq; uero secundum temperantiam agere dicitur: quia circa quæ proprie est temperantia,  
 » circa hæc omnibus pariter agit. Ut enim in corporibus, ex diuersis quibusdam mistis, mistum  
 » similitum partium toti gignitur, sic etiam accidit in habitibus, & uirtutibus. differentes enim  
 » inter se uirtutes, eò quòd illa quidem ipsarum circa illa quædam, hæc uero circa hæc uersetur,  
 » ut in naturalibus se habere conspiciamus: hæc enim in perfectione, quæ in unaquaq; ipsarum mi-  
 » stione ad alias gignitur, totum similitum partium efficiunt: ut fieri quidem appareat secundum  
 » unamquancq; ipsarum actio, cum circa hæc fiat, circa quæ erat imperfectæ, naturaliq; fortitu-  
 » dini, ut ita dicam, esse: non tamen secundum illam solam circa ipsa agit. de quibus  
 » propter talem mistionem similibus inter se existentibus merito uirtus  
 » uniuoce prædicatur. has enim, & proprie uirtutes dicimus.

*Alterius textus expositio ex Tertio Ethicorum ad Nicomachum Aristotelis, quo  
 » demonstrat, quod et vitia, similiter ac uirtutes, in nobis.*

*Caput vigesimum nonum.*



» **S**I uero quis diceret, quod omnes appetunt apprensibile bonum, ipse uero appren-  
 » sibile non sunt domini, sed qualis quisq; est, talis etiam finis sibi apparet. Siquidem  
 » unusquisq; habitus sibi ipsi quodammodo est in causa, & apprensibile erit quo-  
 » dammodo ipse author. si uero nullus sibi in causa mala agendi, sed per ignorantia-  
 » nem finis hæc agit, per hæc existimans sibi optimum euenturum: finis uero  
 » appetitio non ex se spontanea, sed idoneum nasci oportet, tanquam uisum habentem, quo re-  
 » cte iudicat: & quod uere bonum eligit: & est ille bonæ indolis, cui bona hæc nature affectio in-  
 » sita est. maximum enim, & pulcherrimum, & quod ab aliis non est possibile accipere, neq; di-  
 » scere, sed quale natura insitum est, tale habebit: beneq;, & recte natura fuisse affectum perfe-  
 » cta, ueraq; erit bona indoles. An omnes quidem apprensibile sibi bonum appetere uerum est, non  
 » est autem uerum apprensibile non esse nos quodammodo dominos: qualis enim unusquisq; est,  
 » talis etiam sibi finis apparet: ipse uero habitus, quo unusquisq; nostrum talis est, nobis ipsis  
 » causæ adiutrices sumus: siquidem ex actionibus habitus, actiones uero in nobis sunt. si enim  
 » inuitum & quod ui, & quod per singularem ignorantiam fit: ostensum est enim quòd igno-  
 » rantes quæ agunt, & delinquent, tanquam ignorantia ipsi authores: hæc neq; inuita, neq;  
 » omnino per ignorantiam fiunt. propter hanc porrò causam neq; propter ebrietates delicta inui-  
 » ta, & si ab ignorantibus fiant. sed quoniam sibi ipsis ebrii ignorantia ab ebrietate sunt authores,

non in inuitis delictis hæc ponit. Pittacus quippe Mitylenæus duplici pœna eos, qui propter ebrietatem delinquent, afficiendos esse statuit: quæ enim delictorum uoluntariam, & in nobis causam habent, erunt hæc ipsa & uoluntaria, & in nobis. sicut autem propter ebrietatem ignorantium rerum ebrii sunt authores, sic & per honestorum, turpiumq; ignorantiam delictorum ignorantibus sunt authores: siquidem in nobis est meliorum, peiorumq; cognitio. per negligentiam enim ignorantes & ea, quæ à legibus statuta, & quæ ab approbatis uiris gesta sunt, ignorantia sibi ipsis sunt authores: siquidem negligere in nobis. honestorum enim, & conducentium ignorantia in uniuersum non ipsius inuiti, sed nequitia causa. in quibus enim uituperia, atq; supplicia, hæc uoluntaria: in ignorantia uero talium liberantur, & puniuntur. neq; igitur rerum, quæ ignorantibus hæc inuita: neq; eorum, quæ ui fieri dicuntur in nobis principium. à uoluptate enim coactus, atq; deuictus, in seipso ad hæc moueri principium habens, propter uoluptatem facit, cum talis uolentia causam foris non quaesiuisset, tanquam quod & per singularem actionem seipsum à uoluptate deuici assueuisset: siquidem ui fiunt, quorum principium & causa extrinsecus, nihil nobis ad ea, quæ per ipsum fiunt, conferentibus: qui uero in seipso principium agendi habens, quæ agit, consultareq; de ipsis facultatem habens, hic non habet eorum, quæ ita delinquentur, causam. Cum itaq; sit inuitum, ut dictum est, id, quod antea dictum est, uoluntarium est cuius principium in nobis, singularia, circa quæ actio fit, cognoscentibus. neq; enim principium, & causam eorum, quæ aguntur, in seipso habens uolentia hæc agit: neq; cognoscens singularia, circa quæ, & per quæ est actio, per ignorantiam ipsa facit. quare si inuita, quæ aut ui, aut per ignorantiam: eorum autem, quæ aguntur & principium in nobis, & cognoscuntur singularia, hæc neq; ui, neq; per ignorantiam, neq; inuita utiq; erunt: si uero non hoc, uoluntaria: quocirca & quæ per iram, desideriumq; aguntur uoluntaria: in nobis enim principium est eorum, quæ hoc aguntur modo. Præterea, si quæ ob hæc fiunt inuita sunt, nullum neq; irrationalium animalium, neq; puerorum uoluntarie aliquid ageret: ob aliud enim horum ea, quæ fiunt, ab ipsis omnia fiunt. Item etiam & honestorum multa ob hæc fiunt. Insuper etiam, si absurdum est inuita dicere, quæ secundum rationem, & rationabiliter fiunt: secundum rationem uero quædam appetimus, & quibusdam irascimur: non erunt inuita quæ per hæc fiunt. Cum itaq; omnia, quæ ita fiunt, sint uoluntaria, hæc id, quod in nobis, habent, quæcumq; eligenda sunt, & secundum electionem fiunt: omneq; quod secundum electionem fit, cum ratione, atq; electione fit. quocirca etiam uidetur electio uoluntarium esse preconsultatum: circa consultabilia enim electio: consultabilia uero sunt, de quibus est consilium, & consultatio. Consultat autem animal nullum præter hominem. Consultamus autem neq; de æternis, & semper eodem modo se habentibus: neq; de his, quæ fiunt quidem, semper uero eodem modo, & secundum determinatum ordinem fiunt: inter quæ sunt ortus, & occasus, & solstitia: sed neq; de his, quæ à fortuna fiunt: sed neq; de omnibus, quæ fiunt ab hominibus: nullus enim Athenis existentium consultat quo pacto scythæ optime rempublicam gerere possent: de his enim consultamus, quæ à nobis fieri possunt: est enim consilium de agibilibus à nobis consultantibus: consultantibus enim de his, quæ per eos agibilia, consultant: sunt autem huiusmodi, quæ interdum aliter facere possumus, eò quod non habeamus determinata ea, in quibus fiunt: talia uero sunt, de quibus opinionem habemus. Præterea, consultatio fit non de finibus, sed de his, quæ sunt ad fines: quorum enim fines consultabiles sunt, cum sint agibiles, horum consultabilia sunt, quæ ad ipsa ducunt: consultamus enim per quæ ipsa assequi poterimus. Cum autem talia sint consultabilia, eligendum est quod ex consultabilibus antepositur, tanquam aliis magis conferens, & ad propositum finem ducens, quæ sunt eæ, quæ secundum anteposita ex consultabilibus fiunt eligendæ actiones, quæ cum appetitione eius, quod in iudicio antepositum est, fiunt: non enim sufficiens est iudicium ad eorum, quæ anteposita sunt, actionem, sed opus est & appetitione: quocirca & electio esse dicitur consultatiua appetitio. Cum autem ea, quæ secundum electionem fiunt, uoluntaria sint, & in nobis:posito quoq; & hoc, habitus, qui circa agibilia, ex actionionibus, quæ circa ipsa, fieri secundum electionem operantibus, erit per hæc positum & illud, habitus circa agibilia & uoluntarios esse, & in nobis. Quemadmodum enim habitus secundum artes ex actionibus circa ipsas acquirimus, ita etiam & habitus circa uirtutes acquirimus. cum enim assuesimus honesta agere, in habitu ipsa agendi constituimur: ut etiam fabrilis, qui fabri euadere student. Sicut autem in artibus alius



alio quidem ad acquirendum habitum propositæ artis natus est melior: non tamen eorum, qui secundum naturam se habent, orbatus est aliquis ad assumptionem, ipsiusque acquisitionem: ita se habet multo magis in uirtutibus, quanto & secundum naturam hominibus magis inest uirtutum acquisitio ea, quæ artium. Quod si uirtutum, perspicuum quod & uitiorum: si quidem propter oppositas consuetudines uirtutibus uitia constant: quibus autem opposita sunt in ipsis, in illis & ea, quibus illa opponuntur. Quare uera est consequentia dicens, si unusquisque habitus sibi quodammodo est author, & apparentiæ erit quodammodo ipse author. Si autem uerum & unumqueng habitus esse quodammodo sibi authorem, uerum erit & apparentiæ, quæ de bonis, malisque fit, unumqueng sibi quodammodo esse authorem. Hoc autem hoc modo se habente: malisque talis habitus sibi ipsis quodammodo authoribus existentibus: sequitur & hoc in ipsis esse quodammodo, & bona ipsis mala uideri. non enim, si ignorantes finem mali, mala agunt, iam & per ignorantiam ipsa agunt. ostensa est enim horum ignorantia uoluntaria esse, quibus ignorandi sibi ipsis sunt authores. putare enim parari, & quia turpia agunt, finem, in sua potestate est: si quidem in ipsis est cognoscere bona, & ea agere, quibus hæc adipiscuntur. idoneum enim nasci oportet quodammodo uirtutem, uitiumque suscepturum: quandoquidem non omne animal horum est susceptiuum, sed solus homo. non tamen si quadam natura indiget quod habiturum est hæc animal, iam opus est etiam habere ipsum natura oculum hunc, quo iudicabit ea, quæ iudicantur recte, & quod uere bonum eliget, quod est uirtus. non enim eodem modo sensus, & uirtutes natura: sed sensus quidem ipsi natura, uirtus uero ipsa non natura: sed ipsam quidem suscipiendi facultas natura, ipsa uero non natura. quocirca uirtus magis natura, similiter ut artes, non ut sensus. ut enim artium esse quidem ipsarum susceptiuus, nobis natura inest, nullus autem natura artifex nascitur, eodem pacto & in uirtutibus se habet. quo circa & sensitiuum uisum, nisi natura quis haberet, neque utique ipsum aliquando possideret. in uisu uero secundum uirtutem non idoneum nasci oportet hunc uisum habentem, sed idoneum nasci oportet ipsum suscipere potentem: habereque ipsum à seipsis tentare assumere. & est bonæ indolis, non qui iam uirtutem habet, & oculum hunc, sed qui facilius altero assumere ipsum potest, quomodo & in artibus se habere ostensum est.

*Quo pacto, si ex contrarijs contraria fiunt, non erit ex iustitia quidem iniustitia, ex iniustitia uero iustitia: et in alijs uirtutibus, uitiisque eadem ratio.*

*Caput trigessimum.*



**Q**UO pacto, si ex contrarijs contraria fiunt, non erit ex iustitia quidem iniustitia, ex iniustitia uero iustitia. An & hæc ita fiunt. qui enim fit iustus, aut ex iniustitia in iustitiam mutatur, aut est contrarius iustitiæ habitus & qui ex ea, qui inter eas est, constitutione: & ea, quæ ex medijs mutantur in alterum extremum, tanquam ex contrario, eo scilicet, quod inter ea est, mutantur. eò enim quod id, quod inter utraq; extrema est, quodammodo extremis participet, et neutro perfecte, ueluti contrarium est eorum, inter quæ est: & cum in alterum ipsorum mutatum fuerit, ueluti ex ipsius contrario mutatur: eò quod ex his mutetur, quæ, cum inter ea essent, prohibebant ipsum iam esse in eo, quod mutatur. si uero omne, quod mutatur in aliquem habitum, ex priuatione illius habitus mutatur: contrarium uero est talis priuatio habitui, in quem fit mutatio: & iustitia itaque, & iniustitia ex contrarijs fiunt, ex priuationibus enim: quod enim fit iustum, & in priuatione ipsius iusti erat, & iniustum pariter ipsius iniusti. Si igitur materia, ex qua proprie est generatio: ipsa uero est substantiarum: per se subsisteret absque eo, quod esset cum aliqua forma, quæ simpliciter fiunt proprie ex materia fierent, & ex priuatione, materia quidem ut subiecto, & permanente, priuatione uero, ut habitui, contraria, in quam ipsa mutatio. Quoniam autem impossibile est subsistere materiam sine aliqua forma: non enim possibile materiam aliquam absque aliqua forma esse: ratione enim à formis est separabilis, & contraria successiue recipit: quoniam subsistit ipsa semper cum horum aliquo, in quæ successiue mutatur: cum in aliquam formam mutata fuerit, perspicuum quidem quod, in priuatione ipsius existens, in ipsam mutatur. Quoniam uero in priuatione existens huius, in quod mutatur, in alia quadam est forma, perspicuum quod huic, in quod mutatur, contrariam formam habet: quatenus & in ipsam mutatur. in quo enim impossibile est manere mutata, in quod mutatur, secundum hoc mutatur, & per

mutat formam. tales uero sunt contrariæ formæ, in quibus est, & esse potest ipsum ens in quarundam priuatione. & propter hoc præcipue quidem ex priuatione, & tanquam priuatione contrarietate proprie est generatio. Iam uero & ex contrariis formis, in quibus existens ante mutationem, in contrarias ipsis non potest non mutata ex ipsis in formam, in quam mutatur, mutari. Cum igitur fuerint habitus bene mutabiles, & contrarietates inter se, & ex contrariis formis mutantur ea, quæ in aliquid mutantur, ueluti ex priuatione eius, in quod mutantur, cum uero fuerint contraria eiusmodi, ut stabilia sint, nec facile mutantur, generantur eiusmodi ex priuatione, & ex his, quæ inter ambo sunt: ut à contrariis, & ipsorum formis, in quas fit mutatio, mutantur ea, quæ mutantur: ea quidem quæ secundum alterationem, & augmentationem & diminutionem, & secundum locum mutationem fit generatio, generatio quædam existens, sed non simpliciter generatio, ex contrariis: quæ uero secundum substantiam non amplius ex contrariis, sed ex oppositione secundum contradictionem, quoniam nihil est substantiæ contrarium.



## CAPITA LIBRI DE FATO.

Proœmium.

Non esse inquirendum an sit Fatum, sed quid sit.

Quatuor esse omnium causarum genera, & Fatum agentibus causis esse annumerandum.

Quot sint agentes causæ, & sub qua earum Fatum contineatur.

Fatum non esse causam necessario causantem, sed ut plurimum, quemadmodum et naturam.

Eos, qui omnia fato fieri putant, auferre fortunam, & casum.

Contingens ad utrumlibet auferri ab his, qui omnia ex necessitate fieri arbitrantur.

Ab his, qui omnia fieri dicunt ex anteiactis causis, tolli omnem consultationem.

Ab his, qui omnia ex necessitate fieri dicunt, introduci alium modum eius, quod in nobis.

Eos, qui omnia fato fieri dicunt, non recte sumere id, quod in nobis.

Falsam esse opinionem illorum, qui motuum, & actionum nostrarum causas externas introducunt.

Eos, qui omnia fato fieri dicunt, omnem humane uitæ actionem auferre.

Opinionem eorum, qui omnia fato fieri dicunt, in sermonibus suis esse falsam.

Ratio sumpta ex ordine causarum in uniuerso, qua utuntur asserentes omnia fato fieri.

Refelitur prius dicta ratio, ceu falsas propositiones assumens.

Exponitur ratio sumpta ex habitibus animi, qua auferebant id quod in nobis, et soluitur.

Ex Deorum præcognitione non inuehi futurorum necessarium euentum.

Confutantur dicta illorum, qui asserunt se seruare id, quod in nobis, in vero sensu, eò quod non sit in omnibus, quæ per impulsum agunt.

Falsam esse rationem illam, quæ nititur ostendere, nisi omnia fato fiant, leges auferri.

Improbatur ratio illa, quæ arguit, nisi omnia fato fiant, auferri uirtutes, & uitia.

Epilogus.

Caput primum.

Caput secundum.

Caput tertium.

Caput quartum.

Caput quintum.

Caput sextum.

Caput septimum.

Caput octauum.

Caput nonum.

Caput decimum.

Caput undecimum.

Caput duodecimum.

Caput decimumtertium.

Caput decimumquartum.

Caput decimumquintum.

Caput decimumsextum.

Caput decimumseptimum.

Caput decimumoctauum.

Caput decimumnonum.

ALEXANDRI



89

ALEXANDRI APHRODISIENSIS  
AD IMPERATORES  
DE FATO,  
ET EO, QVOD IN NOBIS.

P R O O E M I V M .



**P**TABAM ego equidem, maximi Imperatores Seuere, & Antonine, cum ad uos ipse me recepissem, & uidere uos, & affari, & gratiam pro his, quibus saepe à uobis affectus sum beneficiis, agnoscere: semper uoti compos factus eorum omnium, quæ optauit cum testimonio, quòd dignus essem ea assequi, talia petens. Verum cum permittatur: & si non præsens quis numinibus sacrificare potest: & ipsis undequaq; & ubiq; sacrificare, & donaria mittere, quæ ipse asferre non potest: ausus sum apud uos, pro licentia apud numen, primitias aliquas nostrorum fructuum, donarium uobis mittere, donariorum omnium uobis maxime proprium. Quod enim proprium magis sincere philosophiam colentibus, & prouehentibus donarium esse possit libro philosophicam speculationem profitente: libroq; Aristotelis continente sententiam, quam habet de Fato, & eo, quod in nobis? cuius philosophiæ præfectus sum, à uestro testimonio doctor illius pronuntiatus. Est autem nulli secundum eorum, quæ in philosophia sunt decretorum, decretum hoc. Non enim eodem pacto circa actiones se habent, & qui omnia ex necessitate, & fato fieri crediderunt, & quibus uidentur aliqua fieri, quæ etiam non, ut omnino essent, ante iactas causas habent. Inuentio quoq; ueritatis, illius difficillima uidetur, quod opinionum utriq; multa ex his, quæ perspicua sunt, aduersari uideantur. Quoniam autem quorundam decretorum astructio per contradictionem aduersus eos, qui non similiter dicunt, fit apertior (quorum, in primis ea de re, quid esset maius, quam ex Aristotelis sententia dicere?) sermo nem faciam aduersus eos, qui non similiter, atq; ille de his crediderunt: ut in dictorum comparatione apertior nobis ueritas fiat. Est autem rationum nostrarum institutio non ad ostentationem propensa, sed ad inuestigationem, & disciplinam propositorum exactiorem: quam etiam uos in omnibus his, quæ facitis, uidere est æmulari. nullam certe actionum uestrarum est inuenire, quæ opinionem ueritatis intentioni præposuerit. Si autem per ocium, operam dantibus uobis libro, oportere uidebitur dictum fuisse aliquid clarius, peto hoc etiam honore à uobis affici, & scribere ad me de quæsitis. neq; enim facile est omnia uno libro clara facere, & ipsa, quæ proposita sunt, & illa, quibus quis utitur ad illorum declarationem.

*Non esse inquirendum an sit Fatum, sed quid sit. Caput primum.*

**F**ATVM igitur esse aliquid, & causam esse quòd rerum quædam fiant, satis comprobatur hominum existimatio. nec enim uana, aut omnino à uero aberrans est communis hominum natura, secundum quam de aliquibus inter se assentiunt: & inter hos, quicumq; præsertim non ob aliquas ante iactas ab eis opiniones, ut earum consequentiam seruare uelint, aliter dicere coacti sunt. Qua de causa & Anaxagoras Clazomenius: & si in cæteris ab illis, qui naturalem philosophiam philosophati sunt, haud quaquam fuerit recusatus: communi hominum credulitati de Fato reclamans, non exitit fide dignus. asserit enim ipse nihil fato fieri eorum, quæ fiunt, sed uanum esse nomen hoc: quidnam autem sit Fatum, & in quibus non item. non enim tantum non omnes inter se, sed neq; communis hominum existimatio satis hoc ostendere potest. non enim omnes inter se, sed nec sibi ipsi quis eadem de ipso semper sentit. nam ad occasiones, & occurrentes fortunas etiam opinionem de Fato transferunt. Quicumq; enim ipsorum omnia fato fieri dicunt, fatum putant incommutabilem quandam causam esse, & inuitabilem. Sunt & qui non omnia fato fieri au-



tumant : sed & quasdam alias esse eorum , quæ fiunt causas . nec fatum ipsum incommutabile quid , & firmum habere possunt : sed eorum quoque , quæ fato fieri nata sunt , aliqua non fato fieri , sed præter sortem , ut poetæ dicunt , & præter fatum . Sunt uero & quibus quandoque omnia , quæ fiunt , fato uidentur fieri : & his ipsis maxime ea , quæ à fortuna sunt , aduersantur : in propositis autem recte agentes se ipsos recte factorum authores esse existimant : tanquam quod hæc non occurrissent , que occurrerunt , nisi hæc potius pro illis egissent : ueluti & non agendi ipsa facultatem habentes . Ob quam discordiam necessaria est philosophantibus de Fato inquisitio : non an sit : sed quidnam sit : & in quibus eorum , quæ fiunt , & sunt , est eiusmodi natura . Quod igitur omnes , qui de fato aliquid dicunt , causam quandam fatum esse dicant his , quæ fiunt , perspicuum : hoc enim assignant , & causam esse dicunt , quòd fiant ea , quæ fiunt eo , quo fiunt modo .

*Quatuor esse omnium causarum genera , & Fatum agentibus causis annumerandum esse . Caput secundum .*



**R** V M , cum causæ multifariam dicantur , necesse est , ordine problema ipsum aggredientes , primum accipere sub quo causarum modo Fatum ipsum reponere opus sit . nullum enim eorum , quæ multifariam dicuntur , absque propria diuisione prolatum , notum . Diuiduntur quippe eorum , quæ fiunt , causæ in quatuor causarum modos : ut Aristoteles demonstraui . nam causarum alia quidem agentes sunt : alie uero materiæ rationem subeunt : est autem quedam in ipsis & secundum Formam causa : præter has autem tres causas est causa in ipsis & Finis , cuius gratia & quod fit , fit . Et tot porro causarum differentia sunt . quodcumque enim alicuius causa fuerit sub aliqua harum causarum esse reperietur : etenim , si nec omnia , quæ fiunt , dictum numerum non excedunt . Verum euidenti or fieri ipsarum differentia : si in aliquo eorum , quæ fiunt , exemplo inspecta fuerit . Demonstratur à nobis in statua causarum diuisione . Ipsi quippe statuæ , ut causa quidem effectiua , artifex est , qui fecit , quem statuarium appellamus . Ut materia uero subiectum æs , aut lapis , seu quodcumque , quod ab artifice ex arte figuretur : nam & hoc huius , quod est factum fuisse , & esse statuam causa est . Est quoque & forma ab artifice in hoc subiecto facta & ipsa statuæ causa : ideo est forma aut disco similis , aut iacularis , aut in aliqua alia figura terminata . Sed non hæc solum generationis statuæ causæ sunt : nulli enim causarum generationis eius secunda finis , cuius causa facta est , aut alicuius honor , aut in aliquos aliqua religio : nam absque hac causa neque à principio statuarium fecisset . Cum igitur tot sint causæ : differentiamque inter se notam habeant :

*Fatum inter agentes causas merito numerauimus , conditoris statuæ artificis proportionem seruans ad ea , quæ ipso fiunt .*

*Quot sint agentes causæ , & sub qua earum Fatum contineatur . Caput tertium .*



**H** O C autem cum ita se habeat , consequens fuerit de agentibus causis sermonem facere : sic enim manifestum fuerit , an omnium , quæ fiunt , Fatum causam dicere opus est : aut & alia præter ipsum causæ sint concedendæ : tanquam quæ quorundam sint effectrices causæ . Omnium porro , quæ fiunt , diuisionem Aristoteles faciens , horum aliqua gratia alicuius fieri dicit : cum intentionem aliquam eorum , quæ fiunt , & finem habet præstitutum qui ea efficit : alia uero nullius : eiusmodi enim sunt , quæcumque non ex intentione aliqua ab agente fiunt , nec ad finem aliquem terminatum referuntur : cuiusmodi sunt fructuum attractiones , & circumuolutiones , & capillorum contactus , & extensiones , & quæcumque his similia : quæ quòd fiant & ipsa nulli dubium est , non tamen eam , quæ secundum finem , cuius gratia causam habent . Quæ ergo sic inconsiderate , & simpliciter fiunt nullam habent rationabilem diuisionem . At eorum , quæ ad aliquid relationem habent , & alicuius gratia fiunt , alia quidem à natura , alia uero à ratione fiunt . Nam quæ naturam habent generationis causam numeris quibusdam , & ordine terminato in finem procedunt : ad quem cum peruenerint ab ipso generari quiescunt : nisi quid in ipsis steterit , quod naturale hoc ipsorum iter in præstitutum finem impediatur . Sed etiam quæ ratione fiunt finem aliquem habent : nihil enim eorum , quæ ratione fiunt , temere fit : sed ad aliquam intentionem hæc omnia referuntur . ratione uero fiunt , quæcumque ab agentibus ipsa fiunt , quæ de hisce ra-





tiocinantur, atq; componunt quonam pacto fieri possint. Sic fiant omnia, quæ ab arte, & electione fiunt: quæ ab his, quæ natura fiunt, eò distant, quòd quæ natura fiunt generationis huiusmodi in se principium, & causam habent: tale enim est natura: & fiunt quidem ordine quodam: non tamen quòd natura ipsorum operatrix, pariter ac artes, circa ea ratiocinatione utatur. quæ uero arte fiunt, & electione extrapositum habent motus principium, & agentem causam, non autem in seipsis: & pro ipsorum generatione agens de ipsis ratiocinatur. Sunt in his; quæ alicuius gratia fiunt, & quæ à fortuna, & casu fieri credita sunt: hæc differentia ab his, quæ principaliter alicuius gratia fiunt, quæ, in illis quidem omne, quòd ante finem fit, finis gratia fit, in his uero ea, quæ ante finem fiunt, alius gratia fiunt, sed occurrit eis alius gratia factis, ut finis, id, quòd casu, fortuna uel fieri dicitur. His autem ita se habentibus: & omnibus, quæ fiunt, hos in modos distributis: accedit ad hæc, ut uideamus in qua efficientium causarum Fatum reponere opus sit. nunquid in his, quæ nullius gratia fiunt? An hoc omnino sine aliqua ratione: nam semper in aliquo sine fati nomine utimur, ipsum fato factum fuisse dicentes: idcirco in his, quæ alicuius gratia fiunt, fatum reponere necesse est. Et quoniam eorum, quæ alicuius gratia fiunt, alia quidem ratione, alia uero natura fiunt: est ne in utrisq; ipsorum fatum necesse reponere, ut omnia, quæ fiunt, fato fieri dicere, aut in altero? sed quæ ratione fiunt, hoc ipso secundum rationem fieri uidentur, quòd qui agit, ea quoq; non agendi facultatem habet. quæ enim ab artificibus ex arte fiunt, non uidentur ab ipsis necessario fieri: sic enim agunt ipsi singula, ut æque etiam possint illa non agere. Præterea quo pacto non est absurdum domum, lecticamue fato dicere fuisse factas, aut lyram fato concinne compactam fuisse? Atqui & quibus electio dominatur: (hæc uero sunt, quæcunq; uirtute, ac uitio fiunt:) & hæc ipsa in nobis esse uidentur. Si uero in nobis hæc, quæ & agendi, & non agendi domini esse uidemur: horum uero fatum esse causam dici minime potest: nec aliquas anteactas causas externas, aut principia, quòd omnino uel fiant, uel non fiant aliqua ex his: nullum enim ipsorum nostræ esset optionis amplius, si hoc modo fierent: relinquitur igitur fatum in his esse dicere, quæ natura fiunt: ut idem fatum & natura sint: nam quòd fatale secundum naturam, & quòd secundum naturam fatale. hominem enim ex homine, & equum ex equo generari non secundum naturam quidem est, secundum uero fatum minime: sed concurrunt hæc causæ inuicem, tanquam solo nomine differentiam habentes. idcirco, & primæ secundum naturam generationis singulorum causæ Diuina ipsa, & horum ordinatissima circumlatio. & fati quoq; causas easdem dicunt: omnis enim generationis principium est Diuinorum ad hæc ipsa, quæ hic, certa quædam secundum motum habitudo.

*Fatum non esse causam necessario causantem, sed ut plurimum, quemadmodum  
est naturam. Caput quartum.*



**C**V M ergo in his, & huiuscemodi fatum sit, necesse est, ut se habeant quæ secundum naturam fiunt, ita etiam se habere quæ secundum fatum: atqui ea, quæ natura fiunt, non necessario fiunt: sed eorum, quæ sic fiunt, generatio impediri potest: idcirco interdum quidem ut plurimum fiunt quæ natura fiunt, non tamen necessario: locum enim & in his habet quòd præter naturam est: & fit, cum ab aliqua extrinsecus causa impedita fuerit natura ad sui opus: unde non necessario homo ex homine, sed ut plurimum: quare & secundum legem natura ortis addictam singula sic generatorum semper fiunt. Cum itaq; sit in his, quæ natura fiunt, & quòd præter naturam, ueluti & in his, quæ ab arte, locum quoq; habebit & in his quæ fato fiunt, quòd præter fatum est. quare si locum habet quòd est præter naturam, & non est uanum nomen, habebit in his, quæ fiunt, locum & quòd præter fatum. Idcirco & quis rationabiliter posset dicere propriam naturam principium uniuscuiusq;, & causam esse ordinis secundum naturam eorum, quæ in ipso fiunt: ab hac enim magna ex parte uitæ hominum ordinem, exitumq; suum accipiunt. uidemus quippe quòd & corpus, eo quòd huiusmodi aut huiusmodi natura sit constitutum in ægritudines, & interitus consequenter ad naturalem constitutionem incurrere: non ex necessitate tamen: abunde enim ordinem hunc amouere possunt adhibita diligentia, & aëris permutationes, & medicorum præcepta, & Deorum suffragia. Eodem autem modo & in anima ipsa reperire quis poterit, præter naturalem constitutionem, diuersas in singulis electiones fieri, actiones, & uitas: mos enim est




hominum Dæmon, hoc est natura secundum Heraclitum. nam ut plurimum ad naturales constitutiones, & dispositiones consequenter & actiones, & uitas, & ipsorum exitus licet uidere. nam ei, qui pericula diligit, & natura Audaci uiolenta aliqua, & ut plurimum mors: hoc enim est natura fatum. at ei, qui Intemperatus natura est, in hisce uoluptatibus degere. Incontinentium quoque uita, nisi quid melius in ipsa factum ab ea, quæ secundum naturam, emouerit, dolores sustinebunt, & mala patientur: & in talibus exitus rursus uitæ secundum fatum sunt. Auaris præterea natura, & insatiabilibus circa pecuniarum acquisitionem etiam quæ fati consona fiunt: nam in iniustitiis magna ex parte talium uita: & uitæ etiam exitus secundum hæc agentibus consentaneus his. idcirco & tales increpare consueuerunt, cum & in uitæ consequutionibus, & fatatis circumstantiis fuerint: utpote, qui præsentium sibi ipsis malorum ipsi facti sint authores. Et hanc, si quis præsto esse uolens his, qui præfagia pronuntiant, quod ipsi non omnia assequantur, afferret causam, non omnia naturam, & fatum cuiusque scilicet agere, sed aliqua etiam præter ipsum fieri: ipsos uero uates eorum, quæ fato fiunt, nuncios esse, ueluti & Physiognomonas. Sane cum diceret Zopyrus physiognomon absurda quædam de Socrate philosopho, & plurimum ab eius instituto in uita semota: & super his à Socratis auditoribus derideretur: dixit Socrates non esse mentitum Zopyrum: eram enim naturæ ratione huiusmodi, nisi ex philosophiæ studio meliorem fuisset naturam adeptus. Et hæc est, ut per capita dicamus, Peripateticorum de Fato opinio.

*Eos, qui Fato omnia fieri putant, auferre fortunam, & casum. Caput quintum.*



**V**ERVM dictorum manifestior erit probatio, si præcedentibus positorum demonstrationibus nos addiderimus sequentia incommoda his, qui omnia fato fieri dicunt: sic enim sermonem permittentes ex opinionum collatione notiores ueritates faciemus: præterea nec eorundem sæpius meminisse cogemur. Merito enim quis dubitauerit, quo pacto philosophari quidam dicantur, & ueritatem, quæ in entibus est, attingere: & hac aliis hominibus præstare philosophantes putant: & ob id & alios ad hoc hortantes dederunt se opinioni, quæ omnia ex necessitate, & fato fieri dicit: ad quam solos inter uulgares eos confugere uidemus, qui nihil sibi commodum cognoscentes, in ipsum fatum, causam occurrentium sibi malorum, transferunt: opinioni, quæ nec euidentiis consonat, nec probabiles aliquas habet demonstrationes, immo & aliquid in nobis esse tollit: quod si credatur, quæ nam alia maior extra rationem iactura fieret? Quod enim præter euidentiā manifestum est ex eo, quod ab omnibus fere uulgaribus, & philosophis creditum est fieri quædam & casu, & à fortuna, esse etiam aliqua eorum, quæ fiunt contingenter: & habere locum aliquem in entibus, & non potius hoc, quam illud: horum uero nullum seruari ab his, qui ex necessitate omnia fieri dicunt: siquidem ea seruare est, quibus significationibus hæc esse nomina imposita creditum est, hæc minime amouere: alias enim quasdam significationes nominibus subiicientem, quia illa maneat, putare & prædicta manere, non est eorum, qui seruant posita. Non enim seruat quis aliqua à fortuna fieri, si naturam auferens eorum, quæ ita fiunt, nomen his, quæ ex necessitate fiunt, fortunæ imponat. Sed qui ea ostendere potuerit seruari, de quibus fortunæ nomen prædicari creditum est, dicitur quippe ab omnibus hominibus, qui communibus, & naturalibus notionibus innituntur, hæc à fortuna, & casu fieri, quæ causis aliorum quorundam productiuis antegredientibus post accedunt. cum enim alicui, quod alterius gratia fit, non id occurrerit, cuius gratia fiebat, sed aliud, quod nec à principio sperabatur, hoc à fortuna factum fuisse dicitur: per se quidem factum absque causa, per accidens uero, cum habuerit causam, quæ ad alterius cuiusdam generationem facta est. Et quod tale quid dicant omnes à fortuna fieri ex hoc euidens est, quod hanc ipsam significationem subiiciunt his, quæ à fortuna fieri dicunt. thesaurum siquidem dicunt à fortuna aliquem inuenisse, si, alterius cuiusdam, non autem thesauri inueniendi gratia fodiens, incidit in thesaurum: huius enim gratia fodiens non à fortuna: id enim occurrit ei, cuius gratia fodit. at si cui de thesauri inuentione nulla erat cura, sed agente alicuius alius gratia, inuentio thesauri occurrit, ut illius finis, tunc à fortuna thesaurum inuenisse omnes dicunt. Sed & argentum fortuna aliquem recepisse dicunt, cum, alicuius alius gratia accedens ad forum, in habentem argentum debitorem incidens, quod sibi debebatur accepit. nam, cum progressus in forum principalem alium haberet finem, acceptio eius,




 DE FATO

quod sibi debebat, occurrit, ut finis, per accidens ipsi factum est, illud quidem effectrix causa, hoc uero huius finis. non enim à fortuna amplius dicitur quis debitum accepisse, si huius gratia ad forum accessit: quia propositum sibi finem habuit progressus in forum. Equus quoque quibusdam casu seruatus fuisse dicitur, quando alimenti, aut alius alicuius spe aufugerit à detinentibus ipsum: eius uero fugæ, & cursui occurrit, ut in dominos incideret. Et quid opus est uobis plura exempla exponere? aut exactius de prædictis loqui? sufficit enim ad proposita ostendere de quibus significationibus dicta nomina prædicentur. Cum ergo huiusmodi sint quæ à fortuna, & casu fiunt, ut non fiant per antegredientem causam: eorum enim, quæ raro, his, quæ ante ipsa facta sunt, occurrunt casus, & fortuna: quo pacto prædictorum aliquod seruari secundum quos omnia antegressis quibusdam, & præcipuis causis ex necessitate & sunt quæ sunt, & fiunt quæ fiunt? singulo eorum, quæ fiunt, antea factam aliquam causam habente: qua existente, aut facta, necesse est & ipsa aut esse, aut facta fuisse: cum nihil prius dictorum seruantes alteri cuidam fortunæ nomen posuerint. Nam, eò quòd illud non auferatur ab eo, qui omnia fieri ponit ex necessitate, neque fortunam auferri dicere, decipientium est seipsum, pariter & audientes. hoc enim pacto nihil prohibebit idem esse dicere fortunam, & fatum: tantumque abesse ab eo, quod est fortunam auferri, ut & omnia, quæ fiunt, à fortuna fieri dicant. sed non ad seruandum fortunæ nomen causam habuerunt: sed in auferendo sic fieri quædam, de quibus fortuitum, & casuale fieri dicitur. Quid enim aliud faciunt Fortunam, & Casum definientes causam incognitam humano ratiocinio, quàm quòd fortunæ significationem quandam propriam inducunt, & imponunt. uti siquidem ad huius probationem illo, quo dicimus quosdam casu ægrotare, cum incerta, & incognita nobis ipsis fuerit ægritudinis causa, falsum est. non enim, ceu existente aliqua causa, sed sibi incognita, ita dicunt: sed de his casuale prædicant, quæ sine causa facta fuisse ipsi crediderunt. non enim oportet, cuius causam quærunt, ut illa existente, casu illud factum esse dicere: immo nec quod sibi quis casu persuadeat factum esse huius causam quærere. idcirco non item medici de his ita dicunt: etiam si ipsorum effectrices causas ignorent. non enim de his, quæ diximus, ceu de omnibus, quæ à fortuna fieri dicuntur, sed de aliis quibusdam magis propria est talis fortunæ ratio, de quibus prædicatur: de quibus nullus, ueluti his, quæ à fortuna fiunt, unquam dixit. nam inuentionis thesauri, & eius, quod est debitum accepisse, non sunt immanifestæ humano ratiocinio causæ, sed manifestæ, & certæ: inuentionis enim fossio ipsa, acceptionis uero debiti accessus in forum: nam nec ille non fodiens inuenisset, nec hic non accedens in forum debitum accepisset. sed quia non præcipue sunt horum prius dictæ causæ, sed alius cuiusdam gratia fiebant, idcirco à fortuna fieri arbitrata fuerunt. At occulta potius, incertæque humano ratiocinio illorum causæ fuerint, quæ per quasdam repugnantias fieri credita sunt, ignorata causa, propter quam fiunt: qualia Amuleta quædam putantur, quæ rationabilem nullam, & probabilem causam habent hæc faciendi. Cantilenæ etiam quædam, & Incantationes huiusmodi sunt: horum enim ab omnibus conceditur esse incerta causa, ob idque causa carentia ipsa dicunt. sed nullus hæc à fortuna fieri dicit: quia creditum est per determinatam causam facere quæ faciunt: ut quæ à fortuna fiunt, non quia occulta sit causa, sic fieri dicantur sed quia careant causatione præcipuæ, & propriæ causæ. Et eiusmodi quidem sunt quæ de fortuna ab ipsis dicuntur, & ita positis concordantia.

*Contingens ad utrumlibet auferri ab his, qui omnia ex necessitate fieri arbitrantur.*

*Caput sextum.*



**A** quòd & contingens ipsum, & ad utrumlibet fieri quædam ab his, qui omnia ex necessitate fieri dicunt, auferatur, per se constat. Siquidem illa proprie contingenter fieri dicuntur, in quibus etiam contingere non facta iri locum habet: sicut & id, quod utrumlibet dicitur, notum facit: quæ uero ex necessitate fiunt non contingit non fieri. dico autem illud necessarium non de eo, quod ui fit: neque in id quis dirigat nomen: sed de his, quæ natura fiunt ab aliquibus, quorum opposita impossibile est facta iri. Verum quo pacto non absurda illa sunt, & præter euidentiã, & usque ad hæc necessitatem dicere peruenisse, ut nullus motu aliquo moueri possit, nec aliquam sui partium mouere motu, quo & non mouere posse tunc possibile sit: sed quamuis ceruicis circumuolutionem, & extensionem alicuius digiti, & attolere supercilia, aut aliquid eiusmodi, quasdam an-

Alex. Aphro. Quæ

M iii



regredientes causas sequens, aliter à nobis unquam fieri non posse: cum præsertim in his, quæ sunt, & fiunt, magnam esse rerum differentiam conspiciant: ex qua discere facile sit non omnia tales causas sequi. Videmus sanè eorum, quæ sunt, aliqua nullam habentia potestatem, ut in oppositum eius, in quo sunt, mutantur: alia nihil minus in eorum opposito, quàm in eo, in quo sunt, esse possent: ignem enim impossibile est frigiditatem suscipere, quæ eius innato calori contraria est: sed nec nix, mariens nix, calorem susciperet: aqua uero, & si frigida sit, non est impossibile ut, frigore abiecto, oppositum ei calorem suscipiat: simili & huic modo possibile est & sedentem stetitisse, & motum quietuisse, & loquentem tacuisse: & in innumeris inuenire quis posset potestatem quandam inexistentem contrariorum capacem: quorum, si quæ ex necessitate in altero sunt potestatem non habent suscipiendi eius, in quo sunt, contrarium, non utiq; ex necessitate in illis fuerint, quæ & contrarii eius, in quo sunt, suscipiendi uim habent: si uero non ex necessitate, contingenter: quod uero contingenter in aliquo est, sic in eo est, ut non ex necessitate, sed ut contingenter in ipso factum sit: at quod contingenter factum est in aliquo, & non factum esse in illo possibile erat: est enim & singulum horum, in quo est: quia possibile erat in altero ipsorum, & in opposito eius esse: in quo autem est nunc non ex necessitate simpliciter est in hoc, ex potestate, quam habet ad opposita: atqui, quæ sic in aliquibus sunt, non ob aliquas antea factas causas ex necessitate ad hæc ducentes in illis contingens est. quare, si quæcunq; contraria æque recipiendi uim habent, & contingenter sunt, in quibus sunt, & non sunt in quibus non sunt, infinita utiq; fuerint, quæ contingenter esse, & fieri possunt. absurdum enim est æque necessario dicere in aliquo esse, & quæ non possunt contraria his, in quibus sunt, suscipere, & quæ pariter quocunq; tempore hæc, aut ipsorum opposita suscipere possunt. si enim quæ necessario in aliquo sunt, sui contrarium suscipere non possunt, quæ contrarium sui recipere possunt, non necessario erunt in eo, in quo sunt. Verum dicere, quod si omnia fato fiant, non idcirco auferatur possibile, & contingens: eo quod possibile sit illud factum iri, quod à nullo factum iri impeditur, quamuis non fiat: eorum uero, quæ fato fiunt, non impedita fuerunt opposita facta iri: quare, & si non fiant, possible tamen sunt: & huius, quod facta iri minime impedita fuisse, demonstrationem afferre impediencia ipsa nobis esse incognita omnino quidem quænam sint: quæ enim causæ sunt, ut fiant, opposita his, quæ fato fiunt, hæc, & ut non fiant, eisdem ipsis causæ sunt: siquidem impossibile est, ut dicunt, eisdem circumstantibus opposita fieri: sed quia non cognita nobis sunt quænam sint, propter hoc quin fiant impediti non posse dicunt: hæc quippe dicere non ne ludentium est in sermonibus, qui minime ludo indigent: ignorantia enim nostra nihil, ut res sint, aut non sint: nam sic dicentes declarant, quod ex nostra cognitione possibile erit secundum eos. his enim, qui eorum causas cognoscere possunt, (hi uero sint uates,) non erunt possible entia: cum possint ipsi uates, qui quidem cognoscunt, ea ipsa impediuisse: his uero, qui ignorant, possible erunt, à quibus non impediuntur. seruantes itaq; naturam possible eo modo, quo diximus, propter hoc dicunt ea, quæ fato fiunt, & si incommutabiliter fiant, non ex necessitate fieri: cum possit in his etiam oppositum factum iri: possible sumpto ut diximus. Sed hæc ludentium quidem, ut dixi sunt, & non tuentium huiuscemodi decreta. Simile quoq; huic & illud est, quod dicitur, enunciationem illam, cras erit nauale bellum, ueram quidem esse posse, non tamen & necessariam: siquidem necessarium est semper uerum: sed hæc non erit ulterius uera, cum factum fuerit nauale bellum. at si hæc non est necessaria, nec significatio eius, ex necessitate scilicet fore nauale bellum: sed si erit, non ex necessitate uera, cum uerum sit fore nauale bellum, sed non ex necessitate, contingenter proculdubio: si uero contingenter, non tolletur quædam etiam fieri posse contingenter ab his, qui omnia fato fieri dicunt: rursus enim & hoc ludentium pariter est, pariter & ignorantium ea, quæ dicunt. neq; enim omne, quod ex necessitate fit, necessarium: siquidem necessarium quidem æternum, quod autem ex necessitate fit, ab ipso fieri, eiusmodi esse impeditum fuit. Nec ipsa enuntiatio, quæ hoc dicit, est necessaria: siquidem quod ab ipsa significatur non eiusmodi est. non enim omnis enuntiatio, in qua necessarium continetur, iam est necessaria: non enim ex hoc iudicatur enuntiatio necessaria, sed ex eo, quod non possit ex uera mutari in falsam. si itaq; non est necessaria, nihil prohibuit ipsam esse ueram eo modo, quo illa, cras erit nauale bellum. si enim perinde ac illa, quæ necessaria fit ex necessarij appositione, non est uera, nisi facta fuerit necessaria ex necessarij appositione, uera utiq; permanebit simili modo, quo ea, quæ sine huiusmodi addi-





tionem dicitur . at si hoc est uerum , transacta die crastina uera erit & enuntiatio illa ex necessitate factum esse nauale bellum : si uero ex necessitate non contingenter : etenim si uera est illa , cras erit nauale bellum , semper factum esse nauale bellum fato erit : siquidem omnia , quæ fiunt , factum fiunt : sed si fato , incommutabiliter : si uero incommutabiliter , non contingit non esse factum : quod uero non contingit non esse factum , hoc impossibile est non esse factum : quod uero impossibile est non esse factum , quo pacto possibile est dicere contingere hoc etiam non esse factum ? quod enim impossibile est non factum iri , necesse est factum iri : omnia ergo , quæ fato fiunt , ex necessitate erunt secundum eos , non autem contingenter , ut ludentes dicunt .

*Ab his , qui omnia fieri dicunt ex anteaictis causis , tolli omnem consultationem .*

*Caput septimum .*

**H** V I C autem , omnia , quæ fiunt , anteaictis quibusdam , & determinatis , & præexistentibus causis fore , & id sequitur frustra homines consultare de his , quæ ab ipsis agenda sunt . at si consultatio frustra , frustra quoque ipse homo consilii potens erit . sed si natura nihil ex his , quæ principaliter intendit , frustra facit : hominem uero animal esse facultatem consultandi habens principaliter à natura fit , non autem ut quid consequens , & accidens his , quæ principaliter fiunt : concludetur utique non esse homines temere consultationis participes . Quòd uero ipsa consultatio frustra , si omnia ex necessitate fiant , facile fuerit cognoscere his , qui consultationis necessitatem norunt . Fatentur quippe omnes hoc à natura cæteris animalibus præstare hominem , quòd non sicut illa imaginationes sequatur , sed habeat ab ipsa iudicatricem occurrentium imaginationum , quænam sint eligibiles , rationem : qua utens , siquidem examinata , quæ imaginata sunt , eiusmodi sint , cuiusmodi à principio uisa sunt , assentit imaginationi , & sic aggreditur illa : si uero diuersa uidentur , si aliud quid rursus eligibile , illud eligit : id prætermittens , quod à principio , ut eligibile , sibi uisum fuerit . multa profecto , cum à primis imaginationibus diuersa nobis uisa essent , non amplius permanserunt in apprehensione , redarguente ipsa ratio : idcirco , & si quantum ad imaginationem in eis factam , facta fuissent , nihilominus propter consultationem de eis habitam facta non sunt : cum & consultationis , & electionis eorum , quæ ex consultatione , nos simus domini . Propter hoc igitur nec de æternis consultamus , nec de his , quæ omnes fieri ex necessitate fatentur : quoniam nobis ex consultatione de ipsis habita nihil plus acquiritur . Verum nec de his , quæ , & si ex necessitate non fiant , in aliis tamen quibusdam sunt , consultamus : quoniam nulla ex consilio de illis nobis utilitas . Sed neque de his , quæ à nobis quidem agibilia sunt , sed præterierunt , consultamus : eò quòd ex horum consultatione nihil nobis aduenit opportuni . Consultamus autem de his solum , quæ à nobis fiunt , & futura sunt : ut scilicet habitu uti aliquid per id plus ad electionem , & actionem ipsorum . nam , si de his , de quibus nihil prorsus præter consultationem solam habemus , non consultamus , euidens est , de quibus consultamus , plus aliquid ex consultatione præter ipsam consultationem habituros , nos consultare de ipsis : nam & ipsum consilium adipiscimur etiam de aliis consultantes , de quibus prædiximus . Sed quid nam est quod ex consultatione adipiscimur ? hoc nempe , quòd cum optionem habeamus electionis agendorum , illud præ illud eligamus , quod rationi eligibilius nobis uisum fuerit : quod profecto non prius consultantes non egissemus , quia aliud forte egissemus , occurrentem imaginationem sequentes : quod fiet utique , si non omnia coacte agamus . At si omnia agamus , quæ agimus , propter quasdam anteaictas causas , ita ut nullam agendi , & non agendi aliquid eorum , quæ agimus , optionem habeamus , sed determinate singula agendi , quæ agimus , non secus ac calefaciens ignis , & lapis deorsum latus , & cylinder , qui per decliue circumuoluitur : quid ulterius nobis ad agendum ex ipsa consultatione de re agenda relinquatur ? quod enim non consultantes egissemus , id etiam post consultationem agere necesse est . quare nihil ultra ipsam consultationem ex ipsa consultatione adipiscitur : uerum hoc etiam in his , quæ in nobis non sunt , agere potentes , ut inutile recusauimus . Inutilis igitur est ipsa consultatio , etiam in his , in quibus ipsa , ut re quadam uti nobis tradita , utimur : ad quod sequebatur frustra nobis à natura uim consultatoriam fuisse traditam . cui si addatur id , quod his ipsis , & omnibus in uniuersum philosophantibus uideatur , nihil à natura frustra fieri , sublatum profecto & id fuerit , ad quod sequebatur frustra nos uim consultandi habere : hoc autem sequebatur ad id , nos eorum , quæ à nobis aguntur ,



talem optionem non habere, qua ad contraria possumus. Sed cum aufertur, ut ostensum est, consultatio secundum ipsos, tollitur proculdubio & id, quod in nobis. hoc enim in nobis omnes, quicumque positionem aliquam non asserunt, esse assumpserunt, quod agendi pariter, & non agendi domini sumus: non sequentes aliquas externas causas, quæ nobis assistant: nec ipsi dantes manus, quæ illæ ducunt. & electio est proprium hominum opus circa hoc ipsum: nam ad id, quod prius est ex consilio iudicatum, impulsus cum appetitu electio est. idcirco nec in his, quæ necessario fiunt, electio est: neque in his, quæ non necessario quidem, sed non à nobis. uerum nec in omnibus, quæ à nobis: sed in his, quæ à nobis fiunt, quæ agendi, & non agendi æquæ domini sumus. qui enim de aliquo consultat, agendum ne sit illud, aut non agendum consultat: aut studens, ut circa aliquid bonum, quærat ea, quibus id consequatur: & si, cum quærat, in aliquid, quod fieri non possit, incidat, desistit ab hoc. desistit quoque eodem modo ab his, quæ & si possibile sunt, non tamen in eo sunt: progreditur autem in rei propositæ inquisitione, donec aliquid ei occurrat, cuius se habere optionem ipse crediderit: postquam ab ipsa consultatione cessans, ceu qui indagacionem ipsam ad id deduxerit, quod est actionum principium, incipit rei propositæ actionem. fit autem & ab ipso inquisitio, ceu optionem habente agendi etiam opposita: nam de singulis eorum, quæ sub consilio sunt, fit inquisitio à consultante, utrum hoc, aut ei contrarium sit mihi agendum: & si omnia dicat fato fieri: redarguit enim ueritas agibilium opiniones, quæ de ipso errauerunt. quo errore communiter omnes homines à natura seductos fuisse, quo pacto non est absurdum dicere? quod enim hanc in agendis facultatem prius sumpserimus, ut etiam oppositum possemus eligere: nec omne, quod eligimus, habeat anteactas causas, quibus impossibile sit nos non hoc eligere, abunde ostendit & de electis post accedens sæpius poenitentia: poenitet enim quandoque nos, & nos ipsos accusamus de incuria circa consilium, ceu enim quod nobis non elegisse, & non egisse hoc ipsum facultas inerat. Sed & si alios uiderimus non recte de agendis pertractantes etiam ipsos increpamus, in quibus errant. putamus autem hisce consiliariis utendum esse, ceu nobis facultas in sit hos consiliarios assumere, uel non assumere: eò quod & alia quædam horum præsentia ageremus, & non ea, quæ agimus. sed quod id, quod in nobis, de his prædicetur, in quibus est in nobis facultas etiam opposita capiendi, cum ex se etiam notum sit, satis commemorant & quæ prius dicta sunt.

*Ab his, qui omnia ex necessitate fieri dicunt, introduci alium modum eius, quod in nobis. Caput octauum.*



**C**V M autem ipsum huiuscemodi sit, quod hoc seruetur ab his, qui omnia fato fieri dicunt, nec à principio ostendere conantur: cum sciant se impossibilia aggredi: tanquam autem in ipsa fortuna supponentes aliam quandam significationem nominis fortunæ seducere tentant eos audientes: ut seruantes etiam ipsi fieri à fortuna quædam. ita quoque & de eo, quod in nobis, faciunt. tollentes enim hominem facultatem habere, qua eligere potest, & agere opposita, dicunt in nobis aliquid esse, quod sit & à nobis. Quoniam enim, aiunt, eorum, quæ sunt, & fiunt, naturæ alteræ sunt, & diuersæ: non enim eadem sunt animatorum, & inanimatorum: sed nec animatorum omnium rursus eadem: differentiæ siquidem entium secundum speciem diuersas quoque esse eorum naturas ostendunt: fiunt autem à singulis omnia, quæ fiunt, per propriam naturam, quæ quidem à lapide per lapideam, quæ uero ab igne per igneam, & quæ ab animali rursus per animale: nullum quidem eorum, quæ per propriam naturam in singulis fiunt, posse se aliter habere dicunt: sed singulum eorum, quæ fiunt, ab ipsis coacte fieri: necessitate non ex ui, sed ex hoc, quod non possit quod non natum est. hoc pacto, cum eiusmodi sint quæ circumstant, impossibile est non circumstare ipsi: impossibile quoque est aliter quodammodo & non ita motum fuisse: nam nec lapidem, si à supremo aliquo demissus fuerit, posse non ferri deorsum nullo impediente, cum ipse quidem in se grauitatem habeat, hæc uero sit talis motus naturale principium, cum & externæ causæ, quæ ad motum naturalem lapidi opitulatur, affuerint, ex necessitate lapidem, ut ex natura affectus est, ferri. Omnino autem, & necessario ipsi has tunc adesse causas, propter quas tunc mouetur: cum non solum non possit non moueri, cum hæc affuerint: sed & necessario moueri tunc, fierique talem motum à fato ab ipso lapide. idem & in aliis est sermo. Quemadmodum autem in inanimatis se habet, ita & in ipsis se habere animalibus dicunt: esse siquidem quendam &





dam & animalibus motum secundum naturam : huncq; eum esse , qui per impulsum : cum omne, quod mouetur animal, quò animal, per impulsum moueatur, motu, qui à fato per ipsum animal fit. Hæc autem cum ita se habeant, fiantq; actiones, & motus in mundo ab ipso fato, alii quidem per terram, si ita contigerit, alii uero per aërem, alii per ignem, alii per aliud quid : fiantq; alii rursus & per ipsa animalia : huiuscemodi autem sunt motus, qui per impulsum fiunt : eos, qui à fato per animalia fiunt, in ipsis esse animalibus dicunt : eodemq; modo, ut in aliis omnibus, quantum ad ipsum necessarium attinet, fieri : cum & his opus sit ex necessitate externas causas adesse tunc, ut & ipsa motum ex se, & qui per impulsum fit, ex necessitate sic quodammodo agant. uerum quia hi per impulsum, & assensum, illorum uero alii quidem per grauitatem fiunt, alii uero per caliditatem, alii per quandam aliam : hunc quidem in ipsis animalibus dicunt, non item etiam illorum singulum, eum quidem, qui in lapide, eum quoq;, qui in igne. Et huiusmodi quidem est ipsorum de eo, quod in nobis, ut paucis dicamus, opinio.

*Eos, qui omnia fato fieri dicunt, non recte sumere id, quod in nobis, nec in vero sensu. Caput nonum.*



T uidendum est, an hæc dicentes seruant communes omnium hominum de eo, quod in nobis, existimationes. Qui enim inquirunt ab his, quonam pacto, cum omnia fato sint, seruari possit quod in nobis, non nomen solum ponentes eius, quod in nobis, hoc inquirunt, sed & quod significatur, illud scilicet ἀνεξέλεστον, idest liberum arbitrium : ob id enim, quod huiuscemodi esse creditur quod in nobis, corrigunt eos, qui ex necessitate omnia fieri dicunt. illi uero, cum indidem dicere opus esset non seruari, curq; non seruetur quærere, & assignare causas : quoniam hoc omnino inopinabile esse uidebant, & \* multa etiam in nobis, omnemq; idem demonstrans comitans de fato sermonem fallere ex æquiocatione audientes putant, & euitare absurda, quæcunq; eos sequuntur, qui nihil in nobis esse dicunt. Cæterum, cum hæc ipsi dicant, interrogauerit primum quis non ab re, cur, cum aliud per alia eorum, quæ ab ipso fato fiunt, & per propriam uniuscuiusq; entium naturam fatum agat, de nullo quidem aliorum id, quod in ipsis, esse prædicant, præterquam de solis animalibus. ea enim omnia, quibus dicunt in animalibus esse, quæ per ipsa animalia fiunt, etiam in singulis aliorum pariter dicere possumus. cum enim aliter non fieri possint quæ per animalia fiunt, nisi per impulsum animal motum fuerit : sed per animalis quidem assensum, & impulsum fiunt, non assentiente uero non fiunt : hæc in ipso animali esse dicunt, ex necessitate quidem ab ipso futura : non enim possunt alio modo fieri : cum non per aliud quid, quàm per hoc, neq; alio modo, quàm hoc possunt facta iri, ob id ipsa esse in animali putantes. Verum hoc ipsum & in aliorum singulo dicere possumus : neq; enim quod per ignem fit ab alio fieri posset : neq; alio modo per ignem, quam per eius calefactionem. quapropter, cum non alio modo fieri possent quæ per ignem fiunt, quàm si ipse calefecerit : & si ipse quidem calefecerit erunt, si uero non calefecerit non erunt : erunt porro & hæc ipsa in igne. Eadem quoq; & in aliorum singulo dicere possumus. quid enim longiori sermone opus est, cum iam apertum quod dicitur factum sit ? De nominibus quidem nulla repræhensio. At putare aliquid plus in his, quæ per ipsa fiunt, animalibus esse tradendum, quàm aliis, per quæ & aliquid etiam ipsorum fit, cum nihil plusquam nomen in eis seruent, hoc ipsum accusandum est : ueluti qui ex nominis communitate decipiantur, aut quod alios decipere statuunt. Hac autem in re illud de ipsis iure quis admirabitur, quid eos coëgit, ut in impulsu, & assensu, quod in nobis esse dicant : ob quod & in omnibus animalibus similiter ipsum seruent : non enim in hoc est quod in nobis, ut, occurrente imaginatione, & imaginationi ex seipsis locum dedisse, & ad id, quod apparuit, impulsos fuisse. Sed hoc quidem forte ipsius uoluntarii astructiuum, ostensiuumq; esset : sed non est idem uoluntarium, & quod in nobis. Voluntarium enim est, quod ex non coacto assensu fit : quod uero in nobis id est, quod cum assensu rationali, & iudiciario fit : unde si quid in nobis, illud & uoluntarium, non tamen quicquid uoluntarium, illud in nobis : uoluntarie enim & animalia bruta quæcunq; per assensum, & impulsum, qui in ipsis est, faciunt : ponere uero in seipso, eorum, quæ ab ipso fiunt, proprium est hominis : hoc enim est ipsi, esse rationali, in seipso occurrentium imaginationum, & omnino agendorum, & non agendorum iudicatricem, inuentricemq; rationem habere. idcirco & alia quidem animalia, quæ solis imaginationibus obe-



diunt, ex ipsis assensuum, & impulsuum iuxta actiones causas habent: homo uero occurrentium sibi externarum imaginationum de agibilibus iudicatricem habet rationem: qua cum utitur, singulam earum examinat, non solum an uideatur talis, qualis uideatur, sed etiam si est: & si ratione perscrutans alteram esse inuenerit, quam sit uisa, non praestauit ei assensum, quia huiusmodi apparet: sed quia non est huiusmodi insurgit in ipsam. Hac de causa & ab aliquibus, quae uoluptuosa uisa sunt, saepe abstinet, quamuis illa concupiscat: quia non habuit rationem ei, quod uisum est concordem: pariter quoque utilia quaedam uisa recusauit, rationi in hoc obtemperans. si itaque quod in nobis est in rationali assensu, qui per consultationem gignitur: hi uero in assensu, & impulsu, qui etiam absque ratione fit, ipsum ponunt, apertissime ostendunt dictis suis se rudius de eo, quod in nobis, pertractare, nec dicere quidnam ipsum sit, nec in quo fiat. nam rationali esse nil aliud est, quam actionum esse principium. nam quemadmodum alii aliud est esse: animali quidem in impulsorio: igni uero in calido, & calefaciendi uim habente: alii autem in alio: ita & homini in ipso rationali: quod tantundem est ac ipsum habere principium aggrediendi aliquid, & non aggrediendi, & secundum idem ambo: quapropter qui hoc tollit, hominem tollit. Videntur autem rationem praetermittentes in impulsu quod in nobis ponere: quia, cum non amplius ipsi in consultatione dicant esse quod in nobis, procedit cauilum: in impulsu siquidem habent dicere esse: eò quod quae in animalibus fiunt ex impulsu fiunt, cum non possint absque impulsu facere, quae per ipsa fiunt. At si in consultatione quod in nobis, ex hoc haud quaquam ad ipsos ulterius sequebatur non posse quae ab homine fiunt alio modo facta iri: cum homo uim habens consultoriam non omnia, quae ab ipso fiunt, consultans faciat. non enim omnia, quae agimus, consultantes agimus: sed saepe quidem, cum agendorum occasio moram consultationi non permittit, etiam quaedam non consultantes agimus: plerumque etiam ex ignauia, aut aliqua alia causa. Si itaque aliqua quidem, cum nos consuluerimus, quaedam uero, & cum non consuluerimus, fiunt, non habet item locum dictum illud, quae per consultationem fiunt in hominibus esse: quia non possit aliquid alio modo ab ipso fieri. Quare, si illa quidem, cum consuluerimus, haec uero, cum non consuluerimus, agimus, non amplius ea, quae à nobis ita fiunt, simpliciter fiunt, ut quae ab animalibus, aut ab igne, aut à duobus corporibus grauibibus fiunt. si autem ab ipsa natura facultatem habemus, & postquam consuluerimus, aliquid agere, constat nos facultatem habere, etiam propter consultationem aliud quid agere, & non omnino hoc, quod, si non consuluerimus, fuisset, si consulamus.

*Falsam esse opinionem illorum, qui motuum, et actionum nostrarum causas  
externas introducunt. Caput decimum.*



**L** L V D uero, occurrentibus iisdem specie circumstantibus, cum sic, tum uero aliter aget quis, sine causa motum introduci: dicereque ob hoc non posse, quod quis egit, huius oppositum egisse, num fortasse id ipsum etiam eorum, quae simili modo prius dictis despiciuntur: non enim omnino quae à causa fiunt semper externam habent suae generationis causam: nam ex hac facultate est aliquid in nobis: siquidem eorum, quae sic fiunt, nos authores sumus, & non externa aliqua causa. idcirco quae sic fiunt absque causa fiunt, ex nobis habentia causam. homo enim earum actionum, quae ab ipso fiunt, causa, atque principium est: & hoc est esse homini, ut sic agendi habeat in seipso principium: quemadmodum sphaerae, ut per decliue circumuoluta feratur. unde aliorum quidem singulorum omnia externas sibi circumstantes causas sequitur, homo uero non: quia homini esse est in habendo principium, & causam in seipso, non omnino sequi his, quae sibi extrinsecus circumstant. etenim, si nostrum de agendis iudicium ad eandem intentionem spectaret, fortasse ratione aliqua diceretur similia de eisdem semper fieri iudicia. sed cum non ita se habeat: eligimus enim quae eligimus, quandoque quidem propter honestum, quandoque autem propter delectabile, quandoque uero propter utile aliquid: & non sunt eadem horum effectiua: accidit, ut, nunc quidem ad honestum moti, haec ex circumstantibus proposita eligamus, rursus uero alia, ad delectabile, aut utile iudicium referentes. nam quemadmodum non querimus aliam quandam causam, propter quam ex grauitate interna terra deorsum fertur, aut propter quam causam animal agit, quae agit per impulsu, eò quod horum singulorum causam hanc ex seipso moliatur his, quae fiunt, natura huiusmodi existens: ita nec de his, quae à nobis diuersimode fiunt, ex



his, quæ aliis circumstant, alia causa præter hominem ipsum est inquirenda: hæc enim est hominis essentia, ut principium sit, & causa actionum, quæ ab ipso fiunt. At dicere, quòd etiam qui consuluerunt ei, quod apparet, assentiunt, & ob hoc etiam imaginationem, ut alia animalia, sequuntur, falsum est: non enim omne, quod apparet, imaginatio est. nam imaginatio simplex; & absq; ratione ab extrinsecus occurrentibus fit, sensuum functionibus assimilata: unde & in animalibus brutis uim habet maximam. sed uidentur etiam quædam & per rationem, & à syllogismo causam imaginationis sumere, quæ nullus imaginationes item diceret: qui enim per syllogismum ex consultatione penes se collectum assentit alicui, ipsæ sibi ipsi assensus causa. Verum, quòd neq; quod in nobis seruant qui omnia fato fieri dicunt: non enim, de quo quærimus an seruetur, secundum eos hoc ipsum seruetur, cum & causam tentent tradere, propter quam hæc ipsa res ab initio impossibilis sit: nec etiam causa, quam tradunt ad tollendam huiusmodi potestatem, uera, cum nihil rationi consentaneum contineat, ex dictis liquido constat.

*Eos, qui omnia fato fieri dicunt, omnem humanæ vitæ actionem auferre.*

*Caput vndecimum.*



**C**AETERVM ad eos, qui aliquid in nobis esse huiusmodi destruunt, sequitur, quantum ad eos attinet, hominum uitam confundere, & euertere. Si enim rebus ita se habentibus, ut habent: neq; enim alicui ipsorum persuadere possibile est non agere ea, quæ agunt, ueluti etiam ipsa agendi, & non agendi potestatem habentes: nec etiam aliorum aliquem: tantam uim habet ueritas ipsa, & ab his, quæ fiunt, euidentis testimonium. si inquam, his ita se habentibus, tantam eorum opinio uim sumat, ut omnes homines credant nos nullius rei authores esse: sed semper sequi circumstantia, his dantes manus, atq; assentientes: & agere quæ agimus, cum omnino hæc ipsa agere cogamur: non enim posse nos aliud quid agere, cum circumstantia huiuscemodi sunt: pariter quoq; rursus non agimus, quia non possumus aduersari circumstantibus, cum huiuscemodi sint, quid accidet aliud, nisi ut omnes homines ex eiusmodi credulitate ea quidem ualere dicant, quæ cum labore, aut aliqua cura fiunt, eligere uero uoluptates, quæ cum facilitate acquiruntur: tanquam, omnino futuris illis, quæ agenda sunt, nullum ipsi pro ipsis sint bonum. At si sic ipsi afficiuntur, & ea, quæ aguntur, sequuntur ad ipsorum electiones: (profeto enim non ob ipsorum ementitam credulitatem alio modo res se habebunt quàm habent:) quid aliud, quàm bonorum ab omnibus paruipensio quædam erit? omnium enim huiuscemodi possessio, atq; præsentia cum labore acquiruntur: malorum uero electio, ueluti quæ cum facilitate, & delectatione fiant. Aduersus quos aliqua ab his ratio sit, quorum decretis persuasi ad hoc deueniunt, poterunt enim illis non iniuria, si accusabuntur, respondere, non potuisse se aliud quid agere, cum essent circumstantia huiuscemodi: quos quo pacto iure increpauerint per hæc decreta, cum eorum præceptores fuerint? Magis autem nec obiurgationes, nec supplicia, nec hortatio, nec honor, nec alia id genus propriam secundum ipsos seruabunt naturam: sed horum quodcunq; etiam coacte fiet, ut & illa, ad quæ hæc insequuntur. Nam quo pacto etiamnum circa Helenæ raptum de crimine accusabitur Alexander Priami? quo pacto etiam Agamemnon iure ipsum accusabit? dicens, neq; ipse renuo. nam si facultatem habuisset præuidendi, aut Alexander quæ ipsum circumstant, & hortabantur ad raptum, aut Menelaus quæ ipsum ad indignationem irritabant, aut Agamemnon ea, in quibus, ueluti sine crimine existens, ipsi insidiatur, merito accusandi erant. At si diu, & iam diu, & priusquam eorum aliquod principium foret, uere de singulo ipsorum horum quodcunq; prædictum fuit, de quibus, cum fecerit, reprehenditur: quo pacto etiam de his, quæ fiunt, accusarentur? Quo pacto etiam exponet quis uirtutes in nobis esse, ac uicia? nam si eo modo à nobis fiunt, quo pacto alii quidem laudabuntur, alii uero improbabuntur? nihil enim aliud decretum hoc quàm patrociniū ad mala conciliat. Videmus sane bonarum, atq; honestarum actionum neminem fato, atq; necessitati causam ascribere: malos contra ob illam se dicentes esse huiusmodi: quod persuasi etiam philosophos dicere, quo pacto non cum loquendi audacia ipsi ad hæc deuenient, aliosq; hortabuntur? Quo modo etiam seruabunt qui talia dicunt, quam faciunt Dii, de mortalibus prouidentiam? si enim Deorum apportiones, quas dicunt aliquibus fieri, per quandam anteactam causam fiunt: ita ut prius quàm fiant aliquæ ipsorum, uerum sit dicere illius quidem Deos ipsos curam habituros, huius

Alex. Aphro. Quæ.

N ii



uero minime : quo pacto quis hoc amplius prouidentiam iure dixerit ? quæ non iuxta meritum , sed ex quadam anteaicta necessitate fit . Quo pacto etiam Deorum cultus seruabitur apud hos , qui Deos colendos esse opinantur , cum in his , qui ita agunt , hoc non agendi facultas non adsit . fieret quoque ab ipsis Diis , erga quos fit aliquid plus quam in aliis , ob id , quod & horum principia erant , & prius quam hi essent præiaicti . Quo pacto etiam non tollit hic sermo Diuinatoriam , sublato Diuinatoriæ usu : quid enim aut discere , aut quid ex disciplina , quam à uatibus consequetur , poterit aliquis uitare ? si nos hæc tantum discere , illosque nunciare possibile est , ad quorum singulorum discendum , agendum ue , aut non agendum , etiam ante natiuitatem nostram cogebamur : permanendi que in his , quæ à Diis prædicuntur , nos minime sumus domini , eò quod futurorum à nobis anteaictæ fuerint causæ .

*Opinionem eorum , qui omnia fato fieri dicunt , in sermonibus suis esse falsam .*

*Caput duodecimum .*



**S**ED quòd decretum hoc uniuersam hominum uitam euertat cuique discere certe facile est . At quòd etiam falsum sit , idoneum testimonium , quòd ipsi huius decreti assertores fidem sermonibus suis adhibere non possunt : sic enim in omnibus sermonibus solum , liberumque tuentur arbitrium , ueluti qui nunquam ab alio huiuscemodi aliquod decretum perceperunt : tum aliquos tentantes ad hoc hortari , quippe qui hoc ipsum agendi , aut non agendi optionem habeant : & his , qui eorum sermonibus persuadentur , eligere aliqua potentibus , qui illis tacentibus forte contraria fecissent : tum quosdam accusantes , atque increpantes , ueluti qui indecentia agant . Tractatus etiam plures conscriptos reliquunt , quibus instrui iuniores putant , quippe qui non impediti sint hæc ipsa conscribere ob aliqua huiuscemodi ipsis circumstantia , sed facultatem habeant scribendi hæc , & non scribendi , eligant autem ex amore erga homines scribere . Sed ommittant sermonum ambitionem , concedantque id , quod in nobis , solum esse , liberumque arbitrium , & authorem in eligendis , oppositisque agendis , in his , quæ hominibus occurrunt , merito uersari creditum , tam à uulgaribus , quam à legislatoribus : est autem hoc , eos uenia dignos esse , qui inuite huiuscemodi aliquid egerunt , ueluti quibus non ob res , quæ fiunt , sed ob modum agendi supplicium sit deputatum : quod certe nec aliorum , nec horum ipsorum aliquis , ut non recte factum , accusat . Verum , cur qui in his , quæ fiunt , ex ignorantia , aut uipeccant , minus essent uenia digni , quæ agunt quidem cognoscentes , facultatem tamen in se non habentes & agendi aliud quid præter ea , quæ agunt , his eis circumstantibus , quæ & omnino circumstare uidentur : eò quòd eiusmodi eorum natura sit , & sit propria eorum natura fato agere omnia , quæ agunt : sicuti grauis est supremo demissis deorsum ferri : & sphaericis , si per decliue dimittantur , ex se moueri . Simile enim est hoc , ac si quis dicat equum supplicio dignum , quia homo non sit : & aliorum animalium quodcumque , quia eiusmodi animam , & non meliorem sit assequutum . Verum nullus Phalaris adeo impius , & stultus esset , ut aliquod eorum , quæ hoc modo fiunt , agentem puniret . In quibus igitur sunt supplicia : rationi consonum non in aliis , quam in his , quæ ex ipsorum scelestâ electione fiunt : qui enim in his , quorum ipsi facultatem electionis habent , deferentes intentionem eorum , quæ ab ipsis agenda sunt , honestum scilicet , & legem , luctri , aut uoluptatis gratia , hæc ipsa spernentes , flagitia committunt , hi ab omnibus hominibus digni suppliciis iudicantur : ueniam dantibus illis , qui non ita peccant . Itaque inspicere improbos omnes admirabile hoc decretum à philosophis discentes , docere ipsos docentes , quòd & ipsi nihil minus his , qui inuiti peccant , sunt uenia digni : non enim ex aliquo extrinsecus eos cogente hæc faciunt , quæ faciunt : à quibus fortasse etiam cauere poterant : sed à natura , quæ in ipsis est , nihil possibile est latentes fecisse : cum tamen nullam his ipsis peccatorum causam præbeat . At si nec quiuis alius , nec ipsi huius decreti principes ueniam darent alicui , hanc eorum , quæ delinquantur , causam afferente , ceu falsum quid , & falsa enuntiantem , proculdubio , ut ab his , & ab aliis omnibus eodem modo creditum est esse id , quod in nobis , non cuiusmodi ab his fingitur , cum ad propositam quæstionem cogitantes dicunt , sed cuiusmodi ipsum esse oportet ex operibus ipsis , & hi ipsi , & omnes homines testantur : si enim ita se habere persuasi essent , delinquentibus omnibus indulgerent , tanquam non habentibus non agendi facultatem . Sed quòd quidem est aliquid nominare , & quòd non propter facultatem hanc aliquid fit sine causa :





eo quòd eorum, quæ sic fiunt, homo ipse sit causa: cum ipse horum omnium principium sit, quæ ab ipso fiunt, satis quidem ostendisse possunt quæ dicta sunt. Satis quoque persuaderi possunt & qui ad hoc ipsum tentant contradicere: & si omnia, quæ agunt, paulisper agere tardauerint, tanquam de his, quæ dicunt, uerum dicentes, fidem præstantes illi dicto, nihil eorum, quæ fiunt, ita fieri, ut & id ipsum non agendi facultatem tunc habeamus. nam quis hoc crediderit, nullum accusare, neminem laudare, nemini consulere, neminem hortari, non Deos orare, non eis gratias agere de aliqua re, nec aliud quid agere possunt eorum, quæ iure agenda sunt, hi, qui & non agendi singula eorum, quæ faciunt, facultatem habere se credunt. at sine his hominum uita non uiuenda, & nec à principio hominum amplius. Sed nec illud nobis imperscrutatum relinquatur: si quis supposuerit non magis esse uerum sic aliquid esse in nobis, ut nos putamus, & ipsa rerum natura sese habere testatur, quàm omnia ex necessitate, & fato fieri, sed æqualiter utrunque certum, incertum uel esse: cuius opinionem credidisse hominibus sit tutius, minusque periculosum, quodque falsum eligibilius: utrum, cum omnia fato fiant, aut non ita se habere putasse, sed esse & nos agendi aliquid, & non agendi dominos: aut, cum aliquid etiam in nobis sit, eo modo, quo prius diximus, credidisse hoc quidem falsum esse, & omnia, quæ à nobis fiunt, ex facultate nostra coacte fieri. An manifestum est, quòd qui, omnibus fato euentibus, seipsos persuadent facultatem habere agendi quædam pariter, & non agendi, nihil ex hac credulitate in agendis peccarent: cum neque ab initio ullius rei earum, quæ ab eis fiunt, domini sint: quapropter periculum peccati secundum hoc ad uerba usque proficiscitur. At si, cum etiam aliquid in nobis sit, nec omnia ex necessitate fiant, credamus nos nullius rei dominos esse, multa prætermittimus eorum, quæ à nobis merito essent agenda, & propter consultationem de ipsis, & quia propter labores in agendis prompte subsidemus, segniores facti ad aliquid per ipsos agendum, ex hac credulitate, quòd nobis etiam nihil de agendis negociantibus euenturum sit, quòd fieri debet. His autem ita se habentibus, præ manifestum est, quòd philosophantibus eligibilius est ut ad uiam, quæ minus est periculosa seipsos erigant, & alios ducant.

*Ratio sumpta ex ordine causarum in uniuerso, qua utuntur asserentes omnia fato fieri. Caput decimum tertium.*

**N**ON deterius etiam his præconsideratis, ea etiam, quæ de fato ab ipsis dicuntur addentes, uidere, an aliquam eiusmodi uim habeant, qua rationale sit ex cognitione ad ueritatem ipsam, & quæ manifesta admodum sunt dexpexisse. erit autem nobis eatenus sermo de his, quatenus ad proposita utilis est. Dicunt quippe mundum hunc, cum unus sit, resque omnes in se amplectatur, regaturque à uitali, & rationali, & intellectuali natura, dispensationem entium habere perpetuam, serie quadam, & ordine procedentem: cum primæ his, quæ post hæc fiunt, causæ fiunt: omnibusque hoc pacto mutuo inter se connexis: nihilque in ipso sic fiat, ut non omnino sequatur ad ipsum, & annectatur, ut causæ, alterum quid: nec rursus aliquid eorum, quæ subinde fiunt, absolui posse à prius factis, ut non omnino ad aliquod ipsorum sequatur ueluti annexum: sed & ad omne, quòd factum est, alterum quid consequi ex ipso necessario dependens, ueluti ex causa: & omne, quòd fit, aliquid habere ante ipsum, ex quo, ut causa, dependet: cum scilicet nihil absque causa eorum, quæ in mundo, fieri, aut esse possit, eò quòd nullum eorum, quæ in ipso, absolui, & separari possit à prius genitis omnibus: diuelli enim, & diuidi, & non ulterius unum semper mundum ipsum manere, ordine, & administratione una gubernatum, si motus aliquis non habens causam introduceretur: quem inferri, nisi ea, quæ sunt, & fiunt, omnia causas aliquas habeant prius genitas, quas necessario sequantur. simileque esse dicunt, & eodem modo impossibile fieri aliquid sine causa, & ex non ente: eiusmodi autem existentem uniuersi gubernationem ex infinito in infinitum manifeste, & immutabiliter fieri. Cum autem quædam sit in causis differentia, quam exponentes: (iræ enim causam ennumerant:) alias quidem dicunt esse externas, alias uero causas, alias quoque habituales, alias etiam contentiuas, alias aliud quid: non enim opus est sermone protrahentes, omnia, quæ ab ipsis dicuntur, addentes, uoluntatem ipsorum ostendisse in decreto hoc de Fato: pluribus inquam existentibus causis æqualiter, in omnibus ipsis dicunt uerum esse, quòd impossibile sit eisdem circumstantibus omnibus circa causam, & id, cuius est causa, interdum quidem non sic, interdum uero sic euenire: fore enim, si sic fiat, causam non ha-

Alex. Aphro. Quæ.

N iii



bentem motum aliquem : ipsum uero fatum , & naturam , & rationem , qua uniuersum guber-  
natur , Deum esse dicunt , existentem in omnibus , quæ sunt , & fiunt , utentemq; ita omnium  
entium propria natura ad uniuersi gubernationem . Et huiusmodi quidem est , ut breuibz  
dicamus , eorum opinio , quam iaciunt de Fato .

*Refellitur prius dicta ratio , ceu falsas propositiones assumens .*

*Caput decimum quartum .*



**L** O R V M uero , quæ dicuntur , falsitas non rationibus aliquibus , nec redargu-  
tionibus extrinsecus indiget , sed est per se nota : quæ enim redargutio potest esse  
sermone ipso manifestior , qui his non concors est , de quibus dicitur ? Enimue-  
ro , quod primo dicitur , fieri omnia primis , his , quæ post hæc fiunt , causis exi-  
stentibus , & hoc modo se mutuo consequentibus rebus , quod , instar catene , ex  
primis secunda dependeant , quod , ut fati substantiam supponunt , quo pacto non aperte à rebus  
ipsis dissonat ? si enim filiorum patres sunt causæ : & oportet proprias causas exquirere : ut sit ho-  
mo quidem hominis causa , equi uero equus : cuius nam posteri causæ fuerint , qui nec omni-  
no nupserunt ? cuius præterea pueri , qui ante ætatem perierunt ? si quidem multa eorum , quæ  
fiunt , ex defectu in quanto , aut non mota , aut corrupta prius , nullius fuerunt causæ per inna-  
tam eis facultatem . cuius etiam causas esse dicent , quæ in aliquibus corporis partibus excremen-  
ta nascuntur ? cuius quoq; monstra , & quæ præter naturam fiunt ? quæ nec ab initio perma-  
nere possunt . si autem cortex in plantis gratia est *περιναεπίου* idest eius quod fructum continet : id  
uero , quod fructum continet , gratia fructus : & irrigantur quidem , ut alantur : aluntur uero , ut  
fructum ferant : multa tamen in eis est inuenire , quæ non hoc modo fiunt . cuius enim dixit  
quis putrefactus , & aridos fructus causas esse eorum , quæ post hæc ? cuius etiam foliorum  
quorundam germinationem ? ex quibus euidentis est his , qui uera inspicere uolunt , & possunt ,  
quod quemadmodum non omnia agere possibile est , ita nec omnis , quæ facta fuerit causa , iam  
& causa est , aut facta est , aut fiet : uerum nec omne , quod factum est , simul ac est , iam est cau-  
sa futuri alicuius . At contra uenientes quidem dicere & hæc , effugere uero ad hoc , quod igno-  
tum sit cuius sint causæ , ut & in ea deniq; , qua ipsi utuntur , prouidentia coguntur sæpius fa-  
cere , est excogitare subsidium indigentibus . nam hoc utentes licebit & de omnibus maxime ab-  
surdis dicere , quod & fiunt , & rationabiles habent aliquas causas , nobis autem adhuc immani-  
festas . Vtrum igitur , his ita se habentibus , aliquid sine causa fiet ? & hoc sermo noster testatur .  
An seruari etiam potest nullum eorum , quæ fiunt , absq; causa fieri , etiam hoc modo se habenti-  
bus rebus , ut nos dicimus . si enim , cum quieuerimus à causarum resolutione , & ab hoc dicto ,  
quod ad ea , quæ primo facta sunt , sequitur necessario , quod ex natura sua futura sint causæ ,  
utpote quæ in sui substantia causam amplectantur , ab his , quæ fiunt , & posterioribus assigna-  
tionem causarum faciamus : nec non eorum , quæ fiunt proprie , causas quæramus : nullum absq;  
causa fiet eorum , quæ fiunt : nec ob hoc ex necessitate ab eiusmodi fato erit undiq; quod fit .  
nam non necessario Sophroniscus , simul ac est , iam & pater est , & causa alicui posteriorum : sed  
si Socrates fuit ex necessitate , fuit ei Sophroniscus generationis causa ex necessitate : sicut enim exi-  
stente quidem fundamento non necesse est domum iam esse factam : sed domo existente antea  
ctum fuisse fundamentum necesse est : sic putandum est & in his , quæ natura fiunt , se habere cau-  
sas ex necessitate : non quod ad ipsa prima sequatur necessario causas esse quorundam , sed ad ea ,  
quæ posterius fiunt , quod ex necessitate habere aliquas antecedentes causas . Sunt tamen quedam  
eorum , quæ fiunt , etiam eiusmodi , ut habeant quidem aliquam causam , non tamen propriam ,  
nec præcipuam , sed ut assueti sumus dicere per accidens . inuentus enim thesaurus ab effodien-  
te causa serendi habet quidem fositionem causam , sed non propriam , nec quæ propter ipsum fie-  
ret : nam quæ proprie sunt causæ , aut ex necessitate solum , ut his uideretur , & ut plurimum con-  
sequens habent causatum : sed quæ ita per accidens sunt causæ raro fiunt eiusmodi causæ . Qua-  
propter ad hoc modo dicentes simul quidem sequitur nihil dicere fieri absq; causa , simulq; ser-  
uare quod à fortuna , & casu aliqua fiant , & esse & quod in nobis , & contingens in rebus , non  
autem uocem tantum . Quo pacto etiam non est aperte falsum dicere omne , quod ad aliquid se-  
quitur , ex illo habere causam ut sit , & omne , quod aliquid præcedit , illi esse causam : uidemus  
enim quæ se mutuo tempore consequuntur non omnia ex prioribus , & prius genitis fieri : nec



## D E F A T O

enim est ambulatio propter surrectionem, nec nox propter diem, nec certamen Isthmicum propter Olympicum, nec propter hyemem æstas. Vnde & admiratus quis ipsos non iniuria fuerit, qui hoc modo causarum assignationem faciunt: ut semper quod primo factum est, causam esse dicant eius, quod est post ipsum: & faciant connexum quendam, & causarum continuationem: & hanc afferunt causam huius, quod nihil absq; causa fiat: cum in multis uideamus & prius, & posterius factis eandem esse causam. surgendi quippe, & deambulandi eadem est causa: non enim surrectio deambulationis, sed utrorunq; surgens ipse, & deambulans est causa, & huius prælectio. uideamus quoq; noctis, & diei ordinem quendam inter se habentium unam, & eandem esse causam: similiterq; mutationis temporum: non enim est hyems æstatis causa, sed & illorum, & istius Diuini corporis motus, & circumlatio, & declinatio in obliquo circulo, qua sol motus omnium prius dictorum pariter est causa: & quod nox non est diei causa, aut hyems æstatis: nec sunt inter se complexa instar catenæ, donec hæc fiunt: aut si non sic fiant, diuelleretur mundi, & eorum, quæ in ipso sunt, & fiunt, unio: sufficiunt enim diuina corpora, & horum circumlatio ad seruandam eorum, quæ in mundo fiunt, continuationem: uerum nec deambulatio est absq; causa, quoniam non ex surrectione habet causam. Quare hæc causarum series ab ipso dicta nullam affert rationalem causam huius, quod nihil absq; causa fiat. nam quemadmodum motus ipsi, & tempora causam quidem aliquam habent: sed nec motus motum, qui eum præcedit, nec tempus tempus ipso prius: sic se habent & quæ in ipsis, & per ipsa res fiunt: nam continuationis eorum, quæ fiunt, est aliqua causa, propter quam mundus unus, & sempiternus secundum idem, & eodem modo semper est dispositus: & hanc oportet quærere, & assumere causam: quæ tamen non eiusmodi putanda est, quoad ex antiquiori fiat recentius: ut uideamus in generatione fieri ipsorum animalium. rationi enim consentaneum est & principium quoddam esse dicere in causis, quod nullum amplius ante se principium, & causam habeat: non enim si omnia, quæ fiunt, omnia causas habent, iam & omnium causas aliquas esse necesse est: non enim omnia entia fiunt. quomodo enim non est absurdum in infinitum dicere abire causas, & seriem ipsarum, & connexum, ita ut nihil primum, nihil ultimum sit? nullam enim dicere esse primam causam, causam est interimere: sublato enim principio, & id, quod post ipsum est, auferri necesse est. Interiret & hac ipsa ratione scientia: siquidem est scientia proprie primarum causarum cognitio: non est autem secundum eos in causis primum. Nec quæcunq; ordinis transgressio destruit ea, in quibus fit: quædam enim etiam præter ordinem regis fieri non impossibile, quæ regnum ipsum omnino non iam destruunt. nec si aliquid eiusmodi in mundo fiat iam omnino hoc dissoluit mundi foelicitatem, sicut nec domus, domini uel quæuis seruorum incuria. Quæ uero dubitant aduersus id, quod in nobis, eiusmodi esse, cuiusmodi communis hominum existimatio credidit, dubitare quidem ratione non uacat: sed dubitatis, ueluti concessis, ductos destruere quidem, quæ admodum euidentia sunt: & adumbrationem quandam, & ludum ostendere hominum uitam: & concertare dubitatis aduersus ipsos, quo pacto non omnino irrationabile est: non enim, si quis Zenonis rationem aliquam contra motum solueri non potest, iam & motus est auferendus: magis siquidem satisfacit rei ipsius actio ad assentiendum, quam omnis, quæ per rationes ipsum destruit, probabilitas.

*Exponitur ratio sumpta ex habitibus animi, qua auferebant id, quod in nobis, et soluitur. Caput decimum quintum.*

**N**E C deterius fortasse fuerit nos etiam ex his, quæ dubitantur ab eis, hæc ipsa præcipue, quibus maxime confidunt, aggredientes, examinasse quo nam pacto se habent: forte enim nihil nimis apparebit in eis. Est itaq; inter ea, quæ dubitantur ab eis, & quid eiusmodi. Si hæc dicunt in nobis sunt, quorum etiam opposita possumus: & in his sunt laudes & uituperia, hortationes & dehortationes, supplicia & præmia: non poterunt prudentes esse, & uirtutes habere, qui iam habent: quoniam non sunt oppositorum uirtutibus uitiorum capaces: eodem quoq; modo nec uitia in malis, cum hi non possint esse ulterius mali: atqui absurdum est dicere non esse uirtutes, & uitia in nobis, nec laudes, & uituperia in his fieri: non igitur quod in nobis seruant qui uitia, uirtutesq; non remouibiles concesserunt. Fortasse expeditius quod sumitur possemus utiq; dicere, eatenus esse in habitibus ipsos habitus, quatenus, priusquam eos acciperent, poterant & non accepisse: nam



& qui uirtutes habent, cum eligere meliora, quam negligere maluerint, sibi ipsis adipiscendæ uirtutis fuerunt causæ, pariterq; qui uitia habent. Eadem autem & in artibus ratio. nam & artificum unusquisq; priusquam haberet artem, habebat & optionem ut artifex non fieret; sed cum in artificem euasit, non ulterius dominus est ne factus sit, & euaserit huiusmodi: siquidem talium generationes in nobis sunt. & hac de causa non est eadem ueritas in futuris, & his, quæ sunt, & his, quæ iam facta sunt. quoniam id, quod iam est, & quod iam factum est, impossibile est aut non esse, aut non factum fuisse: at quod futurum est fieri contingit & non fieri. idcirco, prius quam uirtutem haberet aliquis, uerum erat posse ipsum & non eiusmodi euadere: sed qui talis euasit, hic cum euasit, uerum est dicere ipsum iam euasisse. Si igitur ex generatione prudens erat huiuscemodi: hocq; una cum aliis sibi à natura datis habebat, cum ab illa suscipisset: nullo modo hic ex sui facultate erat eiusmodi: sicut nec bipes, aut rationalis, nec quod erat eiusmodi laudabatur, sed admirabatur potius: ceu, qui tale à natura donum esset assequutus. uelut enim in fanis, quicumq; natura imbecilles ex propria natura sunt eiusmodi, hos quidem laudamus, utpote qui decentem sibi adhibuerint prouidentiam, propter quam prouidentiam non ægrotant: eos uero, qui ex natura sani sunt, & qui absq; fastidio, & curis non ægrotant, non item laudamus, sed beatos potius dicimus, ueluti sine laboribus hoc ipsum habentes, quod & in aliis amabile est, & si cum labore peruenerit. Eodem modo uel etiam magis in uirtutibus faceremus, si ex natura alicui adessent: quod in Diis proculdubio facimus. sed quia nobis hoc impossibile est: nihilq; à natura impossibile est expetendum: siquidem ipsa est possibili, & impossibili mensura: est enim uirtus perfectio, & supremum propriæ cuiusq; naturæ: nequit autem quod imperfectum est in ipsa esse perfectione: cum omne, quod fit, simul ac genitum est, imperfectum sit: nec homo ipse cum uirtute nasci potest. non fuit tamen ei natura non auxiliatrix ad eius adeptionem: sed ab ipsa uim, aptitudinemq; habet, qua illius capax sit: qua nullum cæterorum animalium præditum est. & ex hac potestate homo ab aliis animalibus natura differt: quamuis à plerisq; animalium deficiat in corporeis exuberantiis. Si igitur hanc uirtutum capacem potestatem sic à natura haberemus, ut prouecti, & perfecti etiam hanc sumeremus, ut deambulationem, ut dentes, ut genarum pilos emittere, ut aliud quid eorum, quæ nobis secundum naturam post accedunt: neq; hoc pacto etiam in nobis essent uirtutes: quemadmodum nec aliquid eorum, quæ prius dicta sunt: cum neq; hoc modo ipsas nobis comparemus. si enim prudentia, & uirtus, ut cætera, hominibus essent cognatæ: omnes profecto, aut saltem plurimi, ut cætera à natura ipsi assequimur, ita non facultatem solum uirtutum capacem, sed & ipsas sane uirtutes ab ipsa haberemus: & hoc pacto laudes, & uituperia, & alia id genus frustra essent: immo in uirtutibus, & uitiiis Diuinio rem quendam pretextum, & substantiam ex presentia ipsarum haberemus. At quia non sic se habet: nam nec omnes, nec plurimos uidemus qui uirtutibus præditi sint: quod est eorum, quæ natura fiunt, argumentum: sed amabile est unum fermè eiusmodi accepisse, qui per exercitium, & doctrinam ostendat ipsorum hominum ad cætera animalia naturalem exuberantiam, per se ipsum addens necessarium, quod deest naturæ nostræ, qua causa, & ex nobis uirtutes ipsas acquirimus. Nec inutiles, aut inanes sunt laudes, & uituperia, & ad meliora promotiones, nec uita secundum leges per optimas consuetudines. nam eorum, quæ natura aliquibus insunt, nullum unquam ex aliqua consuetudine potuit diuersum fieri: non ita ipsum graue tam sæpe sursum proici poterit, ut assuescat natura sursum ferri: sed tales, & tales mores hominum ex diuersis assuetudinibus fiunt: & in naturalibus primos habitus adepti sic per ipsos operamur: non enim, quia sæpe uidemus, uisuum habitum adipiscimur, sed ipsum habentes sic uidemus. At in non naturalibus ex actionibus ipsos habitus acquirimus. nam nec in fabrum lignarium quis aliter euaserit, nisi qui sæpius illius actiones exercuerit ex suppositionibus docentis. quare cum & uirtutes hoc modo acquiramus: agentes enim & temperata temperati efficimur: non inerunt nobis à natura. Qui uero dicunt nos ex necessitate esse, & fieri tales: nec facultatem nobis relinquunt hæc ipsa agendi, & non agendi, quibus eiusmodi euadamus: & ob hoc nec his, qui flagitiosi fiunt, licere non hæc agere, quæ agentes tales efficiuntur, nec etiam nobis: quo pacto non fatebuntur flagitiosissimum animalium omnium à natura hominem factum esse? cuius causa cætera omnia facta esse dicunt, ceu ad eius salutem conducentia. si enim uirtus, & uitium sola bonum, & malum sunt secundum ipsos, illa quidem bona, hoc uero malum: nec aliud cæterorum animalium neutrius horum est susceptium:





susceptuum : hominum uero plurimi mali : immo unus tantum, uel duo boni ab his geniti fuisse fabulantur : ueluti quoddam inopinabile animal, & præter naturam Phœnice rarius, quæ est apud Aethiopes . at si omnes mali, & æque inter se sic affecti, ut nihil distet alius ab alio : infantiuntq; eodem modo omnes, quicumq; non sunt sapientes : cur non & animal omnium infelicissimum homo fuerit ? cum & uitium, & insaniam sibi connata, & non sorte euenientia habeat . Sed examinare, præter rationabiles opiniones, eas, quæ in decretis suis, quibus à ueris dissonant, in præsentia recusandum . Redeundum autem unde diuerteramus . Demonstrauimus quippe sic inesse ipsi prudenti eiusmodi esse, quia huiuscemodi inquisitionis, & ipsius adeptionis ipse est author : eò quòd &, ut non talis euaderet, prius optionem habebat : habitum tamen non item habere in seipso : sicut nec in eo, quod ab alto demissum est, est ipsa quies, quamuis ut proiceretur, & non proiceretur haberet facultatem . At in ipsis actionibus, quarum habitum habens operatur, etiam aliqua non agendi . nam, & si quàm maxime rationi consonum sit prudentem cum ratione, & prudentia actiones suas agere, primum quidem non determinate operationes istæ eiusmodi sunt, aut ad hoc usq; actæ : sed omnia, quæ hoc modo fiunt, sunt in latitudine quadam : & quod paululum est in his propositum non interimit . Præterea non coacte aliquid eorum, quæ eligit, prudens facit, sed ceu & non agendi aliquod horum ipse dominus existens : rationabile enim fortasse prudenti uisum fuerit, & pro ostendenda in actionibus libertate, etiam non fecisse quandoq; quod de ipso rationabiliter dicitur, si aliquis ei uates prædixerit facturum ipsum hoc necessario . & quidem ipsi uates hoc non absq; consideratione dicunt : fugientesq; redargutiones, quæ in promptu sunt, nihil huiuscemodi dicunt his, qui redarguere possunt : sed quemadmodum tempora ipsa præfinire eorum, quæ ab ipsis, ut futura, prædicuntur, ceu facile reprehensibile euitant, ita & aliquid cauent dicere & prælagire his, qui quamprimum possunt uaticinii oppositum fecisse .

*Ex Deorum præcognitione non inuehi futurorum necessarium euentum .*

*Caput decimum sextum .*



**D**I C E R E uero rationi congruum esse Deos ipsos futura prænosse : absurdum siquidem esse dicere eos futurorum aliquid ignorare : & hoc assumentes astruere inde tentare ex necessitate omnia, & fato fieri : nec uerum est, nec rationi consonum . nam, si hoc ipsa rerum natura concedat, nullos certe rationabilius est Diis ipsis magis futura prænosse : sed cum non possit ipsa eiusmodi prædictionem, præcognitionemq; suscipere : nec Deos ipsos rationabile utiq; fuerit aliquid nosse impossibile : quæ enim sui natura impossibilia sunt, eandem etiam apud Deos naturam seruant : impossibile enim est & Diis aut diametrum lateri commensuratam fecisse, aut bis duo quinq; esse, aut eorum, quæ facta sunt, fuisse aliquid non factum : neq; enim principatum uolunt in impossibilibus : sic enim esset in his, quæ dicuntur, discordia : quibus æquæ impossibile est & quod sui natura potestatem habet, qua fieri, & non fieri possit, ut omnino futurum, aut ut non futurum ita prænosse . si enim ante ipsa præcognitio de ipsis tollit ab eis contingentiam, proculdubio, si hæc seruaretur, impossibilis esset de eis præcognitio . Quòd enim etiam secundum hos hoc sic se habeat inde euidens est, quòd ipsi assumentes Deos futura prænosse, ex hoc astruunt ipsa ex necessitate fore : ac si, nisi hoc modo fierent, non præcognoscerentur . Si autem ad Deorum præcognitionem, & prædictionem necessarium sequitur etiam secundum eos, si nulla sit in his, quæ fiunt, necessitas, neq; utiq; secundum eos Dii futura prænouerint . quare & ipsi eandem Diis impotentiam seruant : siquidem per impotentiam, & imbecillitatem oportet dicere fieri hoc, quod est impossibilia non posse . Non itaq; numini plus aliquid posse per prædictionem addunt : sed ex huius assumptione rerum naturam eiusmodi introducunt, nullatenus consequentia, & consona his, quæ fiunt, & euidenter dicentes . nam hoc utentes licebit impossibilia omnia demonstrare : eò quòd rationi consonum sit ipsa Deos non ignorare . potest enim quis assumens absurdum esse Deos ipsum infinitum ignorare, ponens quot habet mensuras, cum hoc assumere impossibile esse cognoscere infinitum quot habet mensuras . quod si hoc, impossibile esse infinitum terminatarum esse mensurarum : si enim non sic erat, neq; Dii ipsum quot habet mensuras nouissent . Quoniam uero si futura præcognoscere est & res ipsas eiusmodi, quales sunt, cognouisse : ( aliud enim est præcognoscere ab ipso facere : ) proculdubio contingentia præcogno-

Alex. Aphro. Quæ.

○



scens, ut talia præcognosceret: non enim est præcognitio ipsum contingens, ut futurum, necessario futurum esse dicere: quare & Diis contingentia, ut contingentia, utiq; præcognouerint: ad quod ex huiusmodi prænotione non omnino sequetur necessitas. Sic quoq; & prædicentes audimus: qui enim cum consultatione aliqua eligendi, & agendi, quæ oportuna sunt, prædicunt, non ut necessario futura de quibus prædicunt. In uniuersum autem si quidem omnia Diis dicunt esse possibile: erunt etiam impossibilia illis possibile: non ostendetur tamen ex illorum præcognitione de futuris omnia, quæ fiunt, necessario fieri. At si concedant impossibilia etiam Diis esse eiusmodi: primum quidem oportet eos ostendere possibilem esse eiusmodi præcognitionem: deinde sic ipsam in Deos reponere: nam nec euidentis est, nec his, quæ fiunt, consentaneum eiusmodi de futuris Deos ipsos facere præcognitionem. Nos igitur nec Diuinatoriam tollimus, nec deorum præcognitionem, ut res ipsæ natura se habent, taliter eos de ipsis prædicere dicentes. Verum nec hominum utilitatem ex Diuinatoria auferimus: quæ fit, ut possit quis euitare quod forte non euitasset, nisi consulisset: Dei quoq; laudantes Diuinatoriam, & secundum hanc rationem solum ipsam dicentes seruari: & qui hac utuntur, ut persuadeant quod omnia fato fiunt, cum hoc, quod nihil ueri dicunt, absurda etiam quædam, & aliena omnino à diis de ipsis audent dicere. Cur enim absurda non sunt, quæ de his ab eis dicuntur? Dubitantibus enim quibusdam aduersus eos, cur, si omnia, quæ fiunt, ex necessitate fiunt, Deorum diuinationes consultationibus similes fiunt, ut possint qui audierunt, ob quod audierunt, & uitasse aliquid, & fecisse. Itaq; & datum Laio responsum accipientes, quo ei dicit Pythius non oportere eum filium generare: nam, si filium genueris, interimet te filius, & inundabitur domus tua tota sanguine: aiunt, ut ipsorum opera promulgaret, sic eum responsum dedisse, non ut non scientem minime persuasum iri, (omnibus enim maxime nouerat,) sed quia nisi sic responsum dedisset, nullum eorum, quæ per insolentiam effrenem circa Laium, & Oedipum facta fuerunt, futurum fuisset: nam nec exposuisset sibi genitum filium Laius, ut exposuit: nec sublatus puer à bubulco, & datus in adoptionem Corinthio Polybo, uir factus, & Laio in itinere occurrens, ignoransq; & ignoratus ipsum interfecisset: nunquam enim domi, ut filius, apud eum educatus parentes ignorasset, ut illum quidem ipsorum interficeret, hanc uero uxorem duceret. ut igitur hæc omnia seruantur, complereturq; fati facinus, imaginationem quandam præbuit Laio Deus, tanquam posset ea, quæ dixit euitasse: & quia temulentus filium genuit, exposuit filium genitum, ut ipsum periret, quæ expositio impiis fabulis causa facta fuit. Verum qui hæc dicit, quomodo aut Diuinatoriam seruat, aut docet Diuini cultus existimationes? aut quam utilitatem docet ipsam habere Diuinatoriam? nam Diuinatoria uidetur esse futurorum prædictio. Sed hi Apollinem factorem faciunt eorum, quæ prædicunt: quod enim non sic factum fuisset, nisi hoc modo responsum dedisset Deus: & propter hoc sic ipsum responsum dedisse, ut fierent, quæ de ipsis dixerat: non ne potius opera sunt respondentis, quam nuntiatio futurorum? At si etiam opus est plus aliquid cæteris uatibus habere Deos ipsos, ut pote qui & futuris coagant, ut fiant opem præstantes: nam & poëtæ hoc de Diis canunt, quod scilicet datores bonorum sunt: ex horum uero dictis ad nullum horum Pythius Laio conduxit: concertat, & omnia agit, ut nihil nephandum, nihil impium domus eius prætermittet. quæ profecto quisquis audiat, non magis piam, quæ ab Epicureis dicitur, improvidentiam huiuscemodi prouidentia dixerit. Præterea quo pacto inter se concordant simul quidem Fatum ipsum Deum dicere, & uti his, quæ sunt, & fiunt in mundo, ad ipsius mundi salutem, & ordinem seruandum eorum, quæ in ipso sunt, simulq; talia de ipso dicere, ut assumat ad impiissimas actiones ob studium circa hæc ipsa & Pythium coadiutorem. Ad quorum enim salutem dicent fatum ipsum uti nece patris à filio, & nuptiis matris, & filii iniquis, & generatione filiorum fratri, & patri? Cur rationabile est administrationis, quæ in mundo est, ex his salutem habere, ut & Apollo timeat ne aliquod horum non actum prætermittatur. erunt ne impedimento, nisi fiant, administrationi hominum erga ciuitates, & leges, aut elementorum saluti in mundo, aut ordinatissimæ, & æternæ Diuinorum corporum circulationi, aut alicui eorum, ex quibus constare mundum, & gubernari ratione contingit. Proculdubio rursus & aliquam alteram fabulam ab aliquo ex Tragediis audire poterunt, quorum opera sunt eiusmodi figmenta: aut mulierem aliquam ex *ἡλδοτυπίασ*, idest ex suspitione in amore insidias parantem filiis alterius, & proprios perneantem: aut Thyestem quendam infelicem senem carnes filiorum suorum deuorantem, Atreo quodam





DEFATO

fratre eiusmodi ei mensam apponente. Credunt autem fabulis ceu factis, fatumq; , & providen-  
 riam per hæc astruunt, ueluti studiose contententes quæ astruere uolunt per ipsas astructio-  
 nes destruere: quamuis longe melius, & erat uenia dignius positiones ipsas interimere, propter  
 eam, quæ ad ipsas sequitur, absurditatem, quàm hæc absurda propter positiones asserere: hi  
 uero & facile absurdissima quæq; credunt: & quòd secundum rationem ipsa fiant aliquas addu-  
 cere causas non pigritant. Sed de his fatis, sufficit enim in singulo ostendisse opinionis absurdi-  
 tatem. abunde enim puto ostensum esse, quo pacto inesse prudenti dicitur prudentem esse,  
 quamuis non possit non esse prudens: non quia non insit ei, cum est prudens, eiusmodi esse:  
 esset enim & tunc dominus huius, quòd est prudentem non esse: sed quia priusquam eiusmodi  
 fieret, habuit non minus, ut non eiusmodi euaderet, quàm ut euaderet facultatem: propter  
 quam prædiximus causam, ut talis fieret, seipsum adiuuit. At in ipsis Diis non est, quòd eius-  
 modi sint: quòd & ipsum erat in dubitatis ab eis: quia scilicet in eorum natura est quòd ita  
 affecti sint. Sed nullum eorum, quæ hoc modo alicui insunt, in eo est. propter hoc enim illo-  
 rum quidem bona honorabilia sunt, & beatibificalia, maius quid laudabilibus bonis habentia:  
 quoniam & omnino eorum natura capax non est. nos uero in adeptione uirtutum laudamur:  
 eo quòd, cum natura nostra etiam deterioris sit capax, non fuimus segnes ad meliora: quamuis  
 deteriora ipsa absq; sudore, & laboribus acquiri posse uideantur: uirtus uero non sine dolori-  
 bus, & laboribus, & sudoribus multis. habet tamen & prudens in singularibus actionibus eti-  
 am non agendi ipsas facultatem: cum & in illis actiones aliquæ fiant circa contingentia, & quæ  
 aliter se habere possunt. nam nec facultas Pythio surrepta est, ut eidem responsum det, & non  
 det, nec Aesculapio tuendi. quippe omnes ferè homines ad eum confugiunt, ubi præsertim ma-  
 xime insignis habetur, credentes, quòd his, qui medicum ipsum habere student,  
 his, qui non student, seipsum magis præstet.

*Consutantur dicta illorum, qui asserunt se seruare id, quod in nobis, in uero sen-  
 su, eo quod id non sit in omnibus, quæ per impulsum agunt.*

*Caput decimum septimum.*



**I**CERE uero præstare illos, qui non putant in seruando actionem anima-  
 lium impulsoriam seruari iam & id, quod in nobis, eò quòd non omne, quod per  
 impulsum fit, in his sit, quæ per impulsum agunt: & propter hoc interrogare, num  
 quod in nobis est, actio quædam sit: & subinde, hoc sumpto, interrogare, num  
 actionum ipsarum aliquæ quidem per impulsum esse uidentur, aliquæ uero non  
 per impulsum: quo sumpto illi rursus addere, actionum quidem, quæ non per impulsum, nul-  
 lam in nobis esse: hocq; concessio, ad hæc assumere omne, quod per impulsum fit, in his esse,  
 quæ hoc modo agunt, quoniam in nullo sit eorum, quæ aliter agunt: & propter hoc dicere se-  
 cundum ipsos quoq; eundem eius, quod in nobis est, modum seruari, quod possit à nobis fie-  
 ri, & non fieri: & quæ sic fiunt inter ea numerari, quæ per impulsum fiunt: quo pacto non  
 sunt dicta eorum, qui ea penitus ignorant, de quibus sermones faciunt: non enim, si in his,  
 quæ per impulsum aguntur, id, quod in nobis, esse concessum fuerit per rationem, iam om-  
 ne, quod per impulsum fit, in nobis: nam ex his, quæ per impulsum fiunt, illa tantum in no-  
 bis sunt, quæcunq; per rationalem impulsum aguntur: rationalis uero impulsus in consultato-  
 riis, & uoluntariis fit, is scilicet, qui est hominum, cum in his fiat: cæterorum siquidem ani-  
 malium, quæ per impulsum fiunt, actiones, non eiusmodi: cum non item sit in illis facultas agen-  
 di, & non agendi quod per impulsum fit. idcirco in actionibus secundum impulsum est id, quod  
 in nobis, non ob hoc tamen omnis, quæ per impulsum actio fit, id, quod in nobis, continet. Quo  
 pacto etiam non ignorant hi, quæ ipsi faciunt: cum ueritate eorum, quæ fiunt, quam destru-  
 unt ex decreto, utuntur ad astructionem decreti ipsam interimentis. Sumentes enim singulum  
 eorum, quæ natura constant, fato esse tale, quale est, tanquam quòd idem sit natura, & fatum,  
 addunt hoc, igitur & fato sentient animalia, & per impulsum mouebuntur: & animalium alia  
 quidem solummodo agent, alia uero rationalia agent: & alia quidem peccabunt, alia uero recte  
 agent: hæc enim his secundum naturam quidem: sed cum peccata sint, & κατὰ νόμον, idest recte  
 facta: & eiusmodi naturæ, & qualitates non ignorentur: sunt & laudes, & uituperia, & suppli-  
 cia, & præmia: hæc enim hunc inter se ordinem habent, & sequælam. non tamen etiam se-



quitur hæc hoc modo fieri his, qui naturam, & ea, quæ secundum naturam fiunt, ad ipsum factum, & necessitatem transferunt: actius enim, & rationalibus animalibus natura inest & peccare, & recte agere posse, cum neutrum horum coacte faciant: & hoc est uerum, & hoc modo se habet: sed non apud eos, qui nos omnia, quæ facimus, facere dicunt ex necessitate: deinde eorum, qui rationabiliter agunt, alios quidem recte agere, alios uero peccare. ex necessitate autem omnia facimus secundum quos impossibile est hisce quibusdam circumstantibus non hæc agere nos: ex necessitate uero semper hæc circumstantibus, propter quæ agimus: non enim eum, qui quouis modo gratiosum quid agit, recte agere quis dicet: sed nec peccare eum, qui quouis modo flagitium aliquod committit: sed cum quis eligit, & agit meliora, cui facultas inest & deteriorum, hunc dicimus recte agere. Itaque eum, qui à fortuna hæc ipsa fecerit, minime dicimus recte agere: ita ut recta actio non à rebus tantum, quæ fiunt, iudicetur, sed longe prius ab habitu, & potestate, à qua aguntur. eadem & de peccatis est ratio. At si facultas nostra agendi alia quædam præter ea, quæ agunt, à circumstantibus est erepta: cum nihil ipsa conferat his, ut illa ipsis circumstantibus, propter quæ agunt: quomodo amplius quis hos peccare, aut recte agere dicet: nam nec huiusmodi habitus, à quo his circumstantibus impulsus fit ad hæc certa quædam agenda, est in eis facultas: nec huius, quod ipsa circumstantia eiusmodi sint. hac enim de causa nullum ex brutis animalibus de his accusatur. ductus autem ad agendum, & ab habitu, & à circumstantiis quibusdam: cum ipse nullius sit dominus, quod non hoc modo se habeant: peccare amplius, aut recte agere in his, quæ hoc modo fiunt, minime dicetur. sed quia, & laudes, & uituperia, suppliciaque, & præmia in peccatis, & recte factis sunt, ut & ipsi dicunt, proculdubio, his sublatis, illorum quoque singulum sublatum fuerit. Sed recte agere de ipsis Diis non proprie dicitur, sed uelut par ei, quod est bona agere: siquidem in quibus est recte agere, in hisce & peccare: natura uero Diuina non est peccatorum capax: propter hoc enim nec Deos laudamus, cum meliores sint eo, cui laudes congruunt, & rectis actionibus, in quibus sunt laudes.

*Falsa esse rationem illam, quæ nititur ostendere, nisi omnia fato fiant, leges auferri*

*Caput decimum octauum.*



**R**A T I O quoque illa prætermittenda à nobis non est, qua fidunt, utpote, quæ aliquid propositorum demonstrare possit. Dicunt enim. Non est quidem eiusmodi *ἰμαρμένη* idest fatum, & causarum series, non est quoque *πεπωμένη*, idest quæ omnia terminat: non est quidem *πεπωμένη*, non est quoque *ἄισα*, idest, quæ semper est: non est quidem *ἄισα*, non est quoque *νέμεσις*, idest distributio: non est quidem *νέμεσις*, non est quoque lex: non est quidem lex, non est quoque recta ratio, quæ quidem, quæ agenda sunt imperet, quæ uero non agenda abdicet: sed abdicantur quidem peccata, imperantur uero recte acta: non igitur est quidem huiusmodi fatum, non sunt quoque peccata, & recte facta: sed, si sunt peccata, & recte facta, est uirtus, & uitium: si uero hæc, est honestum & turpe: sed honestum quidem laudabile, turpe uero uituperabile: non igitur est fatum eiusmodi, non est quoque laudabile, & uituperabile: atqui laudabilia quidem præmio digna sunt, uituperabilia uero supplicio: non igitur est eiusmodi fatum, non est quoque præmium, & supplicium: sed honor quidem est præmii meritum, supplicium autem castigatio: non igitur est fatum eiusmodi, non est quoque præmii meritum, & castigatio: si uero hæc interdicta sunt esset: si omnia fato fiunt, erunt recte facta, & peccata, & honores, & supplicia, & præmiorum merita, & laudes, & uituperia. Verum, si hæc ab aliquibus ipsis circumstantibus causis sic coguntur dicere, ignoscendum est eis: nec est aliquid à nobis de his, quæ ab eis necessario dicuntur, negociandum: nec ab eis, de his, quæ non eo modo, quo ipsi, dicuntur: singulis enim eorum, qui aliqua dicunt, & opinantur, circumstantium uis adest: nec ipsos dicentes in aliquo accusare opus est, cum nihil ipsi ad sic dicendum conferant: siquidem nec circumstantium, nec ipsius habitus, per quem à circumstantibus sic ipsis moueri accidit, causam in se ipsis habent. At, si facultatem habemus & deterius, & melius aliquid dicendi: quis non ipsorum rationis compositionem miratus fuerit, ut incompositam, & ex concessis, & euentibus concludentem uerbum, non quoque, quorum erat uerbum, igitur, longi circa syllogismos exercitii. Ponunt siquidem fatum ad inuitabilem eorum, quæ fiunt, actionem, uti omnibus his, quæ fiunt, & facta sunt, eo modo, quo unumquodque ipsorum factum est, & natura se habet, lapide quidem ut lapi-





de, planta uero ut planta, animali ut animali: si uero ut animali, etiam eo, quod impulsori-  
 am uim habet, ponendo ipsum uti animali ut animali, & ut habente uim impulsoriam: & fieri  
 quæcunq; ab animalibus fiunt per ipsa animalia, & animalium impulsum: cum tamen etiam hæc  
 sequuntur ad aliquas circumsistentium eis tunc necessario causarum: ex quibus putant se etiam  
 in nobis aliquid situm esse seruare ob id, quod & animalia agere per impulsum seruent in eo,  
 quod est fato omnia fieri. aliasq;, quas interrogant, rationes, & hanc ipsam propositam, ut mi-  
 hi uideatur, non ueram: eatenus ei credentes, quatenus ex longitudine, & multitudine nominum,  
 & obscura compositione decipere putant audientes. Sed uideamus & nos quod dicitur per hanc,  
 multa positorum nominum in præsentia recusantes, ipsam περιωμένων, & νέμισιν, & αἰσῶν subtra-  
 hentes: (quibus nominibus in his, quas ipsi uolunt, significationibus utantur:) in cæteris perscru-  
 tabimur. Discere siquidem dignum necessitatem sequelæ illius, non est quidem eiusmodi  
 fatum, non est quoq; lex. nam si quæ fato fiunt sequuntur causas, quæ ipsa necessario circun-  
 stant: nec fieri potest, ut, qui per impulsum agit, non has sequatur causas, causam, quæ ex  
 ipso est, omnino illi connectens: quemadmodum nec lapis ab alto demissus non feratur deorsum:  
 aut sphaera per decliue non circumuoluatur, demissa per ipsum: quæ nam erit ulter-  
 rius legum utilitas? nam quemadmodum lapis à dicente non oportere deorsum ferri nun-  
 quam impiedetur: tum, quod ipse huiusmodi natura sit: tum, quod externas habeat ad  
 hoc iuuantes causas: ita nec aliquis nostrum, ratione, aut lege aliter putante, præter necessita-  
 tem circumstantium agere unquam persuadebitur. nihil enim nobis plus est ex hoc, quod  
 cognoscamus quæ leges imperant, cum causas anteaictas habeamus, quibus circumstantibus ne-  
 cesse est impulsum sequi. Hoc autem pacto omnis, quæ ex legibus habetur, utilitas iure sublata  
 fuerit. siquidem leges imperant, quæ agenda sunt, prohibent uero quæ non agenda. sed non  
 sequitur ad legum imperium, ut agamus, quæ per impulsum agimus: cum circumstantes cau-  
 sæ ad alia quædam necessario nos moueant, & ferant: legum autem utilitate propter huiusmo-  
 modi fatum sublata, ipsæ quoq; leges auferentur. quæ enim est utilitas legum, quibus parendi  
 facultate à fato priuamur? non igitur ad hoc, quod eiusmodi fatum sit, sequitur legem esse: con-  
 traria enim fatum & lex: cum scilicet lex quæ agenda, quæ ue non agenda imperet: ut pote cui im-  
 peranti possint parere qui agunt: idcirco & eos, qui non parent, ut peccantes, damno afficit, ho-  
 nore, eos, qui parent, ut recte agentes: fatum uero omnia, quæ fiunt, necessario, & per similes  
 dicit causas fieri: eorum uero, quæ ex similibus causis fiunt, impossibile est hæc quidem esse  
 peccata dicere, illa uero recte facta. Si enim dicat quis etiam ipsam legem in necessariis, & ante-  
 iactis à fato causis sitam esse, euidentis est ipsam quoq; coactam iri: quemadmodum & in agentibus  
 per impulsum, quæcunq; secundum ipsas fiunt, in circumstantibus causis sunt: non circun-  
 stabunt autem his, quæ agunt, quæ non secundum ipsas. Qui uero hanc non agendi, quæ le-  
 ges iubent, causam habent apertissime carebunt uituperio: quomodo enim digni erunt? quod  
 igitur est in circumstantibus secundum necessitatem causis, ad quas non potest impulsus non se-  
 qui, non erat ex legibus causa, cum necessitas aliqua, & fatum adesse impediit. Sed hoc pacto  
 nulla lex fuerit sibi obedientes habens: cum illis opus sit dicere ei parere, qui ex necessitate se-  
 quuntur: & qui non parent ex necessitate aliqua à persuasione impeditos fuisse. Quapropter lon-  
 ge uerius esset connexum illud, si est eiusmodi fatum, non est lex: lege autem sublata, & unà  
 peccato, & recte facto, merito sublata fuerint, (ut & ipsi ex consequentia rationali sumebant,) uirtus,  
 & uitium: & esse in hominibus aliquid turpe, & honestum, & laudabile, & uituperabile,  
 quodq; præmio, poena ue dignum sit. Nihil igitur manet rationis illius ab eo interrogatæ, qui  
 tanta arte ipsam astruxit. Sequetur autem ad eos consequentia, si ex imo incipiamus, quam di-  
 cunt sequi ad eos, qui tentant tollere quod in nobis esse eo modo, quo hi ipsi, qui illud confes-  
 se seruant: cum ob hoc, quod aliis hæc ipsa inferre anticipauerint, non uideantur ad eos sequi,  
 qui putant se subterfugere. si enim non sunt præmia, nec supplicia, nec laudes, nec uituperia: si  
 uero non hæc, nec delicta erunt, nec recte facta: si uero non hæc, nec uirtus erit, nec uitium:  
 quæ si non sint, quod nec Dii, dicunt: atqui primum, non esse scilicet præmia, nec supplicia,  
 sequitur ad id, quod est omnia fato fieri, ut ostensum est: ultimum igitur, quod  
 est absurdum, & impossibile interimendum est, omnia fato  
 fieri, ad quod illud sequebatur.



*Improbatur ratio illa, quæ arguit, nisi omnia fato fiant, auferri virtutes, & uitia.*

*Caput decimum nonum.*



**E**D uideamus etiam super hoc rationem interrogatam, an non easdem uires habeat. Dicit autem hoc modo. Non omnia quidem fato sunt, non est quoque non prohibita, & non impedita mundi gubernatio: non est quidem hoc, non est quoque mundus: non est quidem mundus, non sunt quoque Dii: si uero sunt Dii, boni sunt Dii: sed si hoc, est uirtus: sed si uirtus est, prudentia est: sed si hoc, est scientia agendorum, & non agendorum: sed agenda quidem sunt recte facta, non agenda uero peccata: non igitur omne quidem fato fit, non est quoque peccatum, & recte factum: atqui recte facta honesta sunt: peccata uero turpia: & bona quidem laudabilia: mala uero uituperabilia: non igitur omnia quidem fato fiunt, non sunt quoque laudabilia, & uituperabilia: sed si hoc, sunt laudes & uituperia: sed quæ quidem laudamus præmio afficimus, quæ uero uituperamus supplicio: & qui quidem honorat præmio afficit, qui uero punit castigat: igitur non omnia quidem fato fiunt, non est quoque præmii contributio, & castigatio. Hæc quoque ratio, ab eadem palestra existens, euidenter per eadem, ceu falsa, redargui poterit. Primum enim quis prompte concesserit illud, non omnia quidem fato fiunt, non est quoque non prohibita, & non impedita mundi gubernatio: cum alia ex necessitate, alia contingenter fiant: & horum alia à natura, alia ex electione, & ratione, alia ex impulsu, alia ex fortuna, & casu: cætera autem omnia à fato tolluntur: non igitur non impedita, neque prohibita maneret mundi gubernatio. sed si concessum hoc fuerit, & mundum esse, & mundo existente, Deos: licet secundum Epicurum extra mundum ipsi sint: Deosque ipsos bonos esse, & uirtutem ad eos sequi: quo nam pacto ad hoc, quod Deorum sit ipsa uirtus, sequetur esse prudentiam? quæ enim est huius sequelæ necessitas. nam si sumptum esset omnium esse ipsam uirtutem, ad hoc utique sequeretur & ipsa prudentia: sed quia ex positis sumptum est Deorum esse uirtutem, quo pacto ad Deorum uirtutem sequetur ipsa prudentia hominum uirtus existens? cum dici non possit easdem esse Deorum, hominumque uirtutes. neque enim alioqui uerum est eorum, quæ tam insigni discrimine inter se secundum naturam distant, easdem esse perfectiones, & uirtutes dicere: neque ad eosdem de eisdem dicti sermones rationabile aliquid in se continent: hominis autem uirtus est ipsa prudentia: quæ, ut dicunt, scientia est agendorum, & non agendorum: in quibus enim possibile est factum iri agendorum aliquid, in his agendorum, & non agendorum scientia locum habet: sed si omnia fato fiunt, inutilis est agendorum, & non agendorum cognitio: quæ enim est utilitas huiusce cognitionis his, qui nihil eorum, quæ agunt, uitare possunt? si autem nihil utilis horum scientia, prudentia quoque iure sublata fuerit. ut sit uerior consequutio illa, si est fatum, non esse prudentiam, nam qua ratione lex auferebatur, posito ipso fato: eadem & prudentia auferetur: qua sublata euidentissime & cætera omnia, quæcumque ad ipsam prudentiam ponuntur sequi, iure sublata fuerint. Verum, quod neque illi ex eo, quod ostendunt motum ex impulsu in animalibus permanere, omnibus fato euenientibus, seruant id, quod in nobis: nisi uelit simpliciter quis quod ab aliquo ex propria natura fit, de illo ipso dicere aliam quandam significationem eius, quod in nobis, inducens, præter id, quod creditum, & existimatum est, quod esse dicimus ex hoc, quod in agendis optionem, & facultatem habeamus ad opposita, per præcedentia sæpius iam dictum est, & demonstratum. Similes autem his sunt & aliæ rationes, quotquot ad huius decreti confirmationem addunt, prolixam, & ad uerba usque argutiam habentes, sed non ex conuenientia cum rebus ipsis, de quibus tractant, sumentes fidem.





### Epilogus.

**H**Æ sunt, uos ò Diuinissimi Imperatores opinionis Aristotelis de Fato, & eo, quod in nobis, ut ego opinor, summæ. secundum quam opinantes & in Deos pii erimus: modo ipsis agentes gratias pro beneficiis, quibus ante ab ipsis affecti sumus: modo ab eis petentes, ut pote his, quibus dandi, non dandi ue facultas in/ sit. Erimus autem & erga uobis similes principes grati. Hæc erga nos aguntur: & quæ est de nobis propria institutio facit uos, cum electione melioris, & cogitandi circa illius iudicium, facientes, quæ facitis: non autem antea factas aliquas causas sequentes, quas necessarium sit sequi, quæ illæ ducant. Habebimus etiam uirtutis curam, ceu ipsi facultatem habentes meliores, deteriores ue euadendi: horum enim tantum quispiam in facultate positus etiam non agendi ipse optionem habet. Et alia quoque, quæcunque in uita agimus, quod solum rationabiliter agere uideamur, si secundum Aristotelis opinionem de illis causas reddiderimus, per uniuersum conatus sum uobis ostendere sermonem.

F I N I S .

*Series chartarum.*

A B C D E F G H I K L M N O


Omnes sunt duerni.

Errata quædam.

- Facie . 6 . linea penultima, ad eis, lege ab eis.
- F. 16. l. 19. quas, l. quos.
- F. 19. l. 16. factum, l. factus. linea . 26 . deleas factus.
- F. 22. l. 11. enim omnes, l. enim si omnes.
- F. 30. l. 4. factio, l. fato.
- F. 31. l. 5. non al, deleas al. l. 7. bum. l. album. l. 35. aliud, l. aliquid.
- F. 38. l. 14. existentes, l. existimes.
- F. 47. l. 27. apræhensius, l. apræhensiuus.
- F. 55. l. 6. commistam, l. commistum.
- F. 56. l. ultima, æquum uero ex æquo, l. equum uero ex equo.
- F. 63. l. prima, gne, l. igne.
- F. 65. l. 23. proprium, l. propriam.
- F. 66. l. 5. ipsa, l. ipsas.
- F. 70. l. is expetens, l. expetendæ.
- F. 83. l. 36. electiuum, ea, l. electiuum mediocritate, ea,
- F. 86. l. 45. apertione, l. apertione. l. 49. actionionibus, l. actionibus
- F. 99. l. 28. profeto, l. profectò.
- F. 110. l. 34. sublataa, l. sublata. l. 35. sublat. l. sublata.







1024 (1-4)

SIMPONIUS III  
PROBANTIA